
NUNTIA



PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS
RECOGNOSCENDO

NUNTIA

Directio: PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI ORIENTALIS RECOGNOSCENDO
VIA DELLA CONCILIAZIONE, 34 - 00193 ROMA

Administratio: LIBRERIA EDITRICE VATICANA - CITTA' DEL VATICANO

1984

Tres naviculae symbolice plures Ecclesias Orientales sui iuris significant quae eadem directione — codice communi nempe — per mare vitae animas ad salutem ducunt ut πηδάλιον, kormčaja al-huda.

N U N T I A

**PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS
RECOGNOSCENDO**

SCHEMA CANONUM DE CONSTITUTIONE HIERARCHICA ECCLESIARUM ORIENTALIUM

Animadversio : Schema quod, speciali facultate pro hac Commissione obtenta, hic lectori proponitur, die 12 mensis octobris vertentis anni, ad Patriarchas ceterosque Ecclesiarum Orientalium Hierarchas necnon ad alia quoque Organa consultationis transmissum est, eo consilio, ut mentem sententiamque circa schema aperiant atque animadversiones opportunas, si quae proponendae habeantur, addant, non ultra tamen diem 31 mensis martii 1985.

PRAENOTANDA

Inscriptio schematis (cf. Const. Dogm. « Lumen Gentium » cap. II) nonnisi in praesens seligitur ad simul congregandos, novem titulos Codicis utpote a Consultoribus Commissionis recognitos.

In votis Consultorum est ut Codex omnibus Orientalibus Ecclesiis communis non in « libros » ad modum Codicis Latinae Ecclesiae, sed in « titulos » systematice ordinetur.

Scitu opus est in « titulos » ordinationem, inde ab anno 1929 propositam et pluries ac penitus disceptatam, a Plenario Coetu Cardinalium praecedentis Commissionis, Codici Orientali redigendo constitutae, Membrorum, die tandem 29 decembris 1936, consensu unanimi, statutam deindeque, in alio Coetu Plenario eorundem Membrorum, die 9 iulii 1941 habito, ad effectum deductam esse, cum divisio in XXIV titulos, collectione in « libros » plurimorum titulorum prorsus praetermissa, adprobata est. De hisce XXIV titulis, omissis quibuscumque eorundem titulorum subdivisionibus (in capita, articulos etc.), schema lectori attento in *Nuntia* 9, pagg. 91-92 propositum patet.

Ad praesentem Commissionem quod attinet notare oportet, Consultores, Coetus a Studiis Centralis sodales, mense aprilis 1980 in unum coadunatos iterum ad idem pervenisse propositum: placuit enim in triginta fere titulos ordinationem futuri Codicis disponere. Quae ordinatio, iam non ob historicas rationes, similitudinis nempe cum *Nomocanonibus* aliisque orientalium canonicis collectionibus gratia, proponitur, sed magis et iterum ob perspicuitatem talis ordinationis facilitatemque consultationis Codicis, ad quod multum conferre videtur, ac praeterea ob necessitatem vitandi quominus, quantum par est, controversiae fere inextricabiles exoriantur, si quaeratur utrum Codici orientali consentaneae sint necne divisiones in « personas, res

et actiones», vel in «tria munera Ecclesiae», vel in «fidem, sacramenta, hierarchiam» vel in alia huiusmodi.

De singulis titulis nonnullae, etsi minoris momenti, animadversiones, ad ulteriorem considerationem a Coetu a Studiis Centrali transmissae sunt. Aliquae tamen, invicem adminiculativae, quae omnibus, uno Consultore excepto, placuerunt, hic adnotare iuvat: Codex incipiat, post aliquos canones praeliminares a titulo de «Ecclesiis sui iuris et de ritibus» in quo, post generales notiones, praeprimis de adscriptione alicui Ecclesiae sui iuris agatur, deinde vero canones de «ritibus servandis» ponantur. Sequi debent tituli qui directe ad constitutionem hierarchicam Orientalium Ecclesiarum referuntur. Canones qui in libro I Codicis Latinae Ecclesiae inveniuntur, ad postremum titulum Codicis orientalis transferantur; orientalium enim mens videtur postulare ut in Codice imprimis agatur de mirabili communione inter variorum rituum Ecclesias sui iuris, utpote quae omnes aequali modo concreditae sint pastoralis gubernio Romani Pontificis (Decr. «Orientalium Ecclesiarum» n. 3), ac deinde de Patriarchis et Synodis, Metropolitibus, Episcopis, clericis etc., ac demum de legibus, decretis, rescriptis, privilegiis, dispensationibus, temporis supputatione. Haec enim, sine ullo praedictio iuridico valori postremi tituli, fieri possunt.

CANONES PRAELIMINARES

Plura de his canonibus legi possunt in *Nuntia* 10, pagg. 87-94.

Primus canon congruit principio a Plenario Coetu Membrorum Commissionis, anno 1974, enunciato: «il futuro codice dichiarerà di valere solo per coloro che appartengono ad una Chiesa orientale Cattolica» (*Nuntia* 3, pag. 5). Revera in canone statuitur Codice teneri Ecclesias Orientales Catholicas — Orthodoxis ergo exclusis — cum de singulis christifidelibus in canonibus «de legibus» haec norma proponitur: «legibus a Suprema Ecclesiae Auctoritate latis», Codice ergo, «tenentur omnes pro quibus latae sunt ubique terrarum, nisi pro peculiari territorio conditae sunt». Clausula «nisi aliud ex natura rei constet», addita est, prae oculis habitis iis canonibus qui ius divinum referunt necnon aliquibus aliis, qui ex natura rei, etiamsi potius indirecte, Orthodoxos aliosque baptizatos non catholicos tangunt, ut sunt e.g. canones de mixtis nuptiis.

Ad canonem 2 notandum est, alibi in schematibus normas adesse quibus statuitur ritus ac normas liturgicas legitime praescriptas adamussim ab omnibus servandas esse (cf. schema «De cultu divino...» cann. 3 et 8). Haec causa est cur in canone 2, ut hic proponitur, hoc solummodo statuatur quod normae liturgicae Codici contrariae nullae sunt.

In canone 7 retinetur praescriptum canonis 302 M. P. «Postquam Apostolicis Litteris», nova tamen formulatione, necnon additis verbis «vel Sanctae Sedis» quae in Codice Latinae Ecclesiae a. 1917 inveniebantur in can. 7, sed in supradictum canonem recepta non sunt. Haec verba videntur neces-

saria etiam in Codice Orientalium, attentis Sanctae Sedis relationibus cum orbis terrarum Nationibus, certis canonibus, v.g. de vi graduum academico-rum, in quibus haec verba satius contextui congruunt, necnon aliis canonibus quae in schematibus iam elaboratis apparent.

Canon 8, maximi ponderis, non est nisi magis accurata formulatio praescriptorum quae in can. 303 § 2 M.P. « Postquam Apostolicis Litteris » necnon in can. 15 M.P. « Cleri sanctitati » continentur, quibus, Summi Pontificis dispositione, plures normae in Codice Orientalium dumtaxat expressae universae Ecclesiae ius « interrituale » constituunt. Haec quidem in Codice recognito ullo modo praetermittenda non sunt, imo magis in dies sustinenda, cum concilium Vaticanum II instanter affirmet « Ecclesiae enim catholicae hoc propositum esse, ut salvae et integrae maneant uniuscuiusque Ecclesiae seu ritus traditiones » (Decr. « Orientalium Ecclesiarum » n. 2) simulque exoptat, omnium Ecclesiarum orientalium sollicitudinem gerens, « ut eadem florent et novo robore apostolico concreditum sibi munus absolvant » (ib. n. 1), gravissimis verbis additis ut « provideatur ubique terrarum tuitioni atque incremento omnium Ecclesiarum particularium » orientalium (ib. n. 4).

TITULUS I

DE ECCLESIIS SUI IURIS ET DE RITIBUS

Praejudicialis, perdifficilis, quaestio de recta notione verborum « Ritus » et « Ecclesiae particularis », quae in Decreto « Orientalium Ecclesiarum » passim adhibentur, diligentissima inquisitione a duobus Coetibus a Studiis Consultorum Commissionis agitata est. Tandem ad formulationem canonis 9 schematis perventum est, quo, ut spes est, iam definitive res soluta esse videtur. Verumtamen, canon iste, in textu anni 1976 publici iuris factus (*Nuntia* 3, pag. 45), pluries denuo recognitus, nunc extat in formulatione quae a Coetu a Studiis Centrali, mense Aprili 1980 coadunato, est adprobata. Definitio Ritus utpote patrimonii liturgici theologici ac disciplinaris, necnon definitio Ecclesiarum orientalium utpote Coetuum hierarchia iunctorum, quos uti sui iuris agnoscit Suprema Ecclesiae Auctoritas, omnimodam claritatem in ius introducunt, quae, ceterum, ex ipsa tituli in duo capita divisione elucet. De substantia canonis iam nullum dubium in Coetibus a Studiis movetur. Ad terminos vero quod attinet, in § 2 canonis adhibitos, notare convenit quinque Coetus Centralis Consultores, contra sex (duo abstinuerunt) vocem « Ecclesiae particularis », in Decreto Conciliari « Orientalium Ecclesiarum » passim adhibitam, voci « Ecclesiae sui iuris » praeferre.

Sub hoc titulo recogniti sunt canones 1-15 M.P. « Cleri sanctitati » necnon canon 303 § 1 n. 1 M.P. « Postquam Apostolicis Litteris ».

Quod ad canones 10-17 spectat, notandum est eos proponi in textu prae-

vio promulgationi C.I.C. (a. 1983), cuius canones 111 et 112, attente ab Organis Consultationis considerandi sunt, ut Orientalis Codicis canones reapse ita formulentur ut sive tuitioni Ecclesiarum Orientalium sive iurium hominis, familiae ac parentum potius fundamentalium omnimode prosint. Qua de re, ad studium nempe, in canone 10 § 1 clausula « vel si ambo parentes consentiant, matris » intra parentheses ponitur. Haec quidem clausula suffragatione potius incerta (in *Coetu de Ritibus* 4-4-1; in *Coetu Centrali* 4-6-2) annis 1979 et 1980 haesitanter praetermissa est, sed hodie opportunius inserenda videtur.

Canon 14 refert quae a Concilio Vaticano II in Decreto « Orientalium Ecclesiarum » n. 4 statuta sunt in abrogationem canonis 11 M.P. « Cleri sanctitati ». Notandum est tres Consultores contra alios tres (dum quinque abstinant) Coetus a Studiis *de Ritibus* sodales exoptare ut in canone dirimatur trita quaestio utrum dispositio Concilii Vaticani II validitatem adscriptionis Ecclesiae alieni ritus afficiat necne, pluribus tamen Consultoribus in re vacillantibus, sive quia de mente Concilii ipsis non satis constat sive quia ad abusus, si qui irrepant, tollendos sufficiens videtur prohibitio liceitatem tantummodo respiciens, quae si opus sit, sub poenis etiam urgeri possit.

TITULUS II

DE SUMMO PONTIFICE DEQUE COLLEGIO EPISCOPORUM

Formulatio canonum huius tituli, ut in schemate indicatur, transmissa est ea cum intentione ut sub hoc titulo nonnisi illi canones colligantur qui ad Romanum Pontificem, Beati Petri in primatu super Universam Ecclesiam successorem, atque ad Collegium Episcoporum utpote Supremae auctoritatis cum Romano Pontifice eiusdem Collegii Capite particeps, referuntur.

Haec enim ad intrinsecam structuram hierarchicam omnium Ecclesiarum orientalium pertinent simulque, prout de plena, suprema ac universali iurisdictionis potestate Romani Pontificis agunt, omnes ac singulos pastores ac christifideles directe et immediate respiciunt.

Ad canones vero de personis vel Organis qui Romano Pontifici praesto sunt in munere supremi Pastoris exercendo quod attinet, visum non est in schematibus Codicis recogniti quidquam proponere. Huc referuntur canones de Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus (CS cann. 175-187), de Curia Romana (CS cann. 188-210) et de Legatis Romani Pontificis (CS cann. 211-215). Normas has personas vel Organa respicientes, ut Consultores Commissionis opinantur, alio documento quam Codice Orientali promulgari praestat, dum in canonibus in quibus de Orientalium christifidelium cum Sede Apostolica relationibus praescripta continentur, numquam de Organo quodam specifico (Dicasterio etc.) sermo est: omnia vocibus « Sedis Apostoli-

cae » vel « Sanctae Sedis » indicantur, cum magis specificae in singulis casibus determinationes pertineant ad internam ipsius Sedis Apostolicae ordinationem.

TITULUS III DE ECCLESIIS PATRIARCHALIBUS

In hoc titulo recogniti sunt canones 216-314 M.P. « Cleri sanctitati ».

Non est cur hic ea recenseantur quae Concilii Vaticani II Decretum « Orientalium Ecclesiarum » habet de restitutione iurium ac privilegiorum Patriarcharum iuxta antiquas traditiones ac Synodorum Oecumenicarum decreta, necnon de Patriarchis eorumque Synodis prout superiorem instantiam constituunt pro quibusvis negotiis expediendis non secluso iure constituendi novas eparchias atque nominandi Episcopos sui ritus intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis, salvo inalienabili Romani Pontificis iure in singulis casibus interveniendi (n. 9). Haec et alia ab ipso Concilio statuta adamussim in schematibus parandis servata sunt, admissis, circa ius quod tempore unionis Orientis et Occidentis vixit, illis tantum mutationibus quae ab hodiernis mundi adiunctis requiri videntur.

Ad terminorum usum quod attinet, plerumque voces in M.P. « Cleri sanctitati » adhibitae retinentur, nonnullis mutatis. Vox « patriarchatus », quae in iure vigenti ad territorium refertur, iam nullibi in schematibus ponitur, cum dignitatem patriarchalem potius significet perinde ac « episcopatus » episcopalem, ac « presbyteratus » presbyteralem dignitatem. Loco huius vocis in schematibus nunc invenitur terminus « Ecclesia patriarchalis ». Si vero de eiusdem Ecclesiae territorio agitur, canones propositi expresse de « finibus territorii Ecclesiae patriarchalis » sermonem faciunt. Vox « Synodus Episcoporum » substituit vocem « Synodus patriarchalis »; vox vero « Conventus patriarchalis » nova est, et institutum de quo in capite VIII huius tituli significat. De « privilegiis Patriarcharum » in schematibus nihil habetur propter plurimum Coetuum a Studiis proposita tantummodo stricto sensu de privilegiis normas statuendi, i.e. cum de gratiis agatur quae per peculiarem actum administrativum conceduntur. Hae gratiae, ut obvium venit, longe distant a notione « privilegiorum Patriarchalium » quae tempore unionis Orientis et Occidentis vixerunt (OE n. 9). Differunt etiam a notione privilegiorum a iure concessorum, quae, ut Consultores opinantur, si quae in Codice retinentur, simpliciter inter iura Patriarcharum recensenda sunt. Inde est cur sectio « De privilegiis Patriarcharum » (Cs cann. 283-285) in schemate non appareat, et ea quae retinentur ad alias sectiones Codicis remissa sunt (cf. *Nuntia* 2, p. 52).

Canones 24-30: Plura de his canonibus legi possunt in *Nuntia* 2, pagg. 31-45, verumtamen textus canonum qui ibi inveniuntur in nonnullis denuo

recognitus est, non tamen in substantialibus. Canones de Archiepiscopis Maioribus, qui in *Nuntia* 2 inter canones praeliminares de Patriarchis, sua tamen inscriptione distincti, inveniri possunt, nunc in titulum IV translati sunt. Hoc modo iuridica figura Patriarchalis Ecclesiae magis distincta apparet ab Archiepiscopali.

In canone 24 additur novus § (n. 4) quo de iis qui olim Patriarchae fuerunt providetur. Quae in CS can. 127 de « titulis personalibus » Patriarcharum praescribuntur, omisa sunt, cum exceptionem potius significant quocirca meliore modo quam est Codicis norma provideri potest.

In canone 27 norma proponitur de Patriarcharum orientalium praecedentia supra omnes Episcopos, salvis tamen peculiaribus Romani Pontificis praescriptis.

Canon 28 verba Concilii Vaticani II de aequalitate Patriarcharum ratione eorundem dignitatis (Decr. « Orientalium Ecclesiarum » n. 8) imprimis refert, deinde praecedentiam honoris inter eosdem Patriarchas ordinat iuxta Sedium praecedentiam a Conciliis Oecumenicis statutam. Mutatio iuris vigentis substantialis proponitur in § 3 de iis Patriarchis agente circa quos nulla habetur a Conciliis Oecumenicis norma. Praecedentia inter hos Patriarchas iam non « iuxta prioritatem promotionis ad dignitatem patriarchalem » sed iuxta « antiquitatem Sedium institutionis » statuuntur, quo fit ut hi quoque Patriarchae stativum seu fixum locum inter ceteros Patriarchas obtineant.

Electio patriarcharum (cann. 31-46). In hac sectione plerumque canones 221-238 M. P. « Cleri sanctitati », retinentur, quibusdam tamen mutationibus adductis, inter quas hae praecipuae hic adnotantur.

Novus est can. 34 in quo norma proponitur statuens canones communes « de electionibus » (CS can. 102-124) etiam in electionibus Patriarcharum servandos esse, iis exceptis de quibus in hac sectione aliter provideatur. Adiungitur clausula « remota quavis contraria consuetudine » quae secumfert e.g. suppressionem clausulae contrariae, « salvo iure particulari », canonis 229 § 1 CS.

De electi Patriarchae ex parte Romani Pontificis confirmatione sermo non est, sed eius loco requiritur — ut mos iam modo restitutus fert — expostulatio a Romano Pontifice communionis ecclesiasticae. De pallio, quod Patriarchis concedi solet, proponitur ut canones nihil statuunt. Praecipua ratio huiusmodi positionis pendet ab ipsa significatione pallii quod est archiepiscopalis, scilicet metropolitanae, potestatis insigne (cf. M. P., « Inter eximia » die 11 Mai 1978), quod cum notione Patriarchae orientalis, a Concilio Vaticano II iterum confirmata (Decr. « Orientalium Ecclesiarum » n. 7) non bene congruit. Patriarchae enim nomine venit Episcopus cui competit potestas non solummodo super-episcopalis verum tamen etiam super-metropolitana. Revera cum de pallio Patriarchis concesso agitur, eiusdem significatio communionis ecclesiasticae cum Romano Pontifice potius signum est.

His considerationibus praemissis, Consultores Commissionis proponunt, ut in Codice nonnisi de ipsa communione ecclesiastica sermo sit, quae expetenda est. Qua quidem obtenta iam non prohibetur Patriarcha Synodum Episcoporum convocare et Episcopos ordinare. Ratio praescripti canonis 46 hodie magis magisque patet, ratione habita doctrinae Concilii Vaticani II de Collegii Episcoporum Capite: ubicumque enim collegialiter potestas ab Episcopis exercetur vel Episcopi eliguntur, ibi constare debet de plena cum Collegii Capite communione ecclesiastica.

Notare iuvat de « iureiurando » schema silere, sed loqui, de « promissione fideliter munus suum implendi » (can. 45 § 1) vel de « promissione coram Synodo Deo facta » (can. 48). Hae locutiones enim, ordine iudiciario excepto, orientalium menti magis congruere videntur.

Iura et obligationes Patriarcharum (cann. 47-70). In hoc capite recognoscuntur canones 240-280 M. P. « Cleri sanctitati » exceptis quibusdam canonibus qui alio translati sunt (can. 249-255 = can. 149-154, 193; can. 243 = can. 82; can. 261-262 cf. cann. 118-126; can. 242, 280 § 2 = can. 109) aliisque qui suppressi sunt (can. 264-271, 283-285) cum absoletas normas contineant vel iuri particulari, ipso Codicis silentio, committi possit, vel, denique, de iis alibi in iure aequivalenter provideri possit.

Canon 52 tota vi adfirmat quae a Concilio Vaticano II de cooperatione populi Dei in Ecclesiae missione necnon de unitate actionis inter Hierarchas diversorum rituum statuta sunt (Decr. « Orientalium Ecclesiarum » n. 4). Neminem effugit quanti haec facienda sint.

In canone 57 recognoscitur canon 260 M. P. « Cleri sanctitati », qui speciem elenchi, imperfecti tamen, variarum facultatum, alibi in Codice expresse statutarum, continet, simul cum pluribus praescriptis ad ius particulare pertinentibus. Nova forma proponitur canon, iis tantummodo retentis, quae in aliis Codicis partibus non proponuntur, aut ad ius particulare transmitti non possunt.

Canon 60 magni momenti praescripta continet, pluribus canonibus M. P. « Cleri sanctitati » (can. 273-275) in unum collectis. Normae de « visitatione ad limina », de « relatione quinquennali » magis in genere exprimuntur ut non modo fidelitas, veneratio atque oboedientia Romano Pontifici debitae in tuto ponantur, sed etiam frequens cum eo consuetudo necnon plena eiusdem de statu Ecclesiarum informatio, iuxta normas ad hoc a Sede Apostolica specialiter statutas. Nulla proponitur substantialis mutatio quod attinet ad visitationem Patriarchae « ad limina » intra annum a sua electione vel ad commemorationes Romani Pontificis in divina Liturgia.

Canon 62, brevissima formula, ad ius particulare transmittit determinationem dierum quibus Patriarchae « pro populo » celebrare divinam Liturgiam debent. Canones de « divina Liturgia pro populo » alibi in schemate inveniuntur, e.g. ubi de Episcopis (can. 165) vel de parochis (can. 266) aga-

tur. Conceptio « divinae Liturgiae pro populo » retinetur, sepositis tamen iis quibuslibet quae orientalium menti minus congruere videntur et firmis canonibus de oblationibus occasione divinae Liturgiae (cann. 50-52 schematis « De cultu divino et praesertim de sacramentis »).

De Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis (cann. 71-83). Canones capituli III de Synodo Episcoporum, plerumque novi sunt, nonobstante quadam cum canonibus 340-348 M. P. « Sollicitudinem Nostram » eorundem similitudine. Profundiore studio Consultores Commissionis, antiqua et nova de synodali Ecclesiarum orientalium administratione examini subicientes, Synodum Episcoporum ut superiorem Ecclesiae patriarchalis instantiam legislativam ac iudiciariam considerant, e contra, Patriarcham pollere tota executiva potestate, nisi expresse in iure aliud caveatur. Maximi momenti huius capituli canon est 80, quo competentia Synodi Episcoporum Ecclesiae patriarchalis accurate definitur.

Huius Synodi sodales, ut in can. 71 § 1 proponitur, omnes et soli Episcopi ordinati sunt, iis non exceptis qui constituti sunt extra fines territorii Ecclesiae patriarchalis, cui tamen sunt aggregati. Hi omnes ad Synodos convocandi sunt (can. 71 § 1) atque gravi tenentur obligatione Synodo interveniendi (can. 73 § 1). Immutatio iuris vigentis, « Declaratione » a die 25 Martii 1970 (AAS, 62, 1970, 179) statuti, hic proponitur ea intentione ut in dies magis firmetur nexus inter Patriarcham atque Hierarchas eiusdem ritus extra territoria Ecclesiae cui ipse praeest constitutos.

Quod ad § 3 canonis 81 attinet, notandum est eum in Coetu Speciali mense augusti 1984 coadunato, iis quae in *Nuntia* 7 p. 38 habentur nonobstantibus, *iuri vigenti* (CS can. 350) assimilatum esse.

Solutio quaestionum quae aliquando in Oriente proponuntur de voto deliberativo Episcoporum titularium, relinquitur iuri particulari in can. 71 § 1. Similis praescriptio proponitur etiam in can. 125 § 1 relate ad votum deliberativum Episcoporum extra territoria Ecclesiae Patriarchalis constitutorum.

Plura de his canonibus legi possunt in *Nuntia* 7 pagg. 21-39.

Curia patriarchalis (cann. 85-97).

In hac sectione canones 286-305 M. P. « Cleri sanctitati », paucis mutatis, retinentur.

In canone 85 tres sodales Synodi permanentis proponuntur a Synodo Episcoporum eligendi ea mente ut maior pars sodalium (tres ex quinque) ipsam Synodum Episcoporum Ecclesiae patriarchalis constanter repraesentet. In canone 87 omittitur clausula nunc in iure vicens (CS can. 291), quae praescribit ut unus ex Episcopis Synodi sodalibus munus secretarii gerat. Hac omissione iuri particulari relinquitur alios quoque ad hoc munus, servatis servandis, designare.

M. P. « Cleri sanctitati » can. 293, de recursibus contra decreta Synodi permanentis transfertur ad sectionem « de processibus » (cf. can. 383 § 1 schematis « De tutela iurium... »; *Nuntia* 14, p. 103).

In canone 93 novus est § 4 quo Synodo Episcoporum ius tribuitur rationem administrationis oeconomicae ab Oecono patriarchalis Ecclesiae requirendi et proprio examini subiciendi.

Sedes patriarchalis vacans vel impedita. In canonibus 97-103 huius capituli nonnisi minoris momenti aliquae mutationes vigentis iuris proponuntur. Omissa sunt ea de quibus in § 4 can. 467 M. P. « Cleri sanctitati », quae, in sectione Codicis de Episcopis agente posita, Patriarchas quoque excommunicatos, interdictos vel suspensos respiciunt (CS can. 314 § 1 n. 3). De his enim, si acciderint, alio modo ac ex Codicis norma provideri poterit.

Formulatio canonum ea est ut ad canones de vacante sede eparchiali remissio, in M. P. « Cleri sanctitati » passim adhibita, necessaria iam non sit.

Metropolitae Ecclesiae patriarchalis (cann. 105-112). Caput hoc maximi est momenti ad ipsam genuinam figuram Patriarchae, utpote super-metropolitana potestate pollentis, vel Ecclesiae cui ipse praestit intelligendam. Quaestio *de facto*, i.e. Metropolitanarum de quibus hic agitur in praesens totalis absentia, iuri praepiudicio esse non debet.

M. P. « Cleri sanctitati » canones 316-319, opportune recogniti, in hoc caput inclusi sunt, ceteris de Metropolitae eorumque Synodis ad ius particulare, a Synodo Episcoporum statuto, remissis.

Canon 111 novus est: provisio fit de Metropolitae « aggregatis » extra fines territorii Ecclesiae patriarchalis constitutis. Hi normis peculiaribus reguntur a Synodo Episcoporum propositis et a Sede Apostolica adprobatis vel ab ipsa hac Sede statutis.

Conventus patriarchalis (canones 112-117). Caput hoc novum est. Perpetuis votis de maiore omnium christifidelium participatione in vita Ecclesiae, visum est Consultoribus ex una parte, Synodum Episcoporum ex solis Episcopis constantem, antiquis canonibus plene respondentem, servare, ex altera parte vero de Consilio quodam, ex Episcopis, presbyteris, diaconis, monachis ceterisque religiosis necnon laicis constanti canones conficere. Hoc consilium Conventus vocatur, voto deliberativo numquam praeditus, perinde ac Consilium quod Episcopo eparchiali adest, cum convocetur, et cui nomen est Conventus eparchialis.

Conventus hic Patriarchae atque Synodo Episcoporum adiutricem operam praestat, voto tantum consultivo, in negotiis maioris momenti ab Patriarcha vel Synodo Episcoporum determinandis. Celebretur quinto saltem quoque anno quod proponitur in spe ut frequens huiusmodi Conventus celebratio permagno emolumento Ecclesiis patriarchalibus futura sit.

Neminem fugit haec obtineri non posse nisi aptae normae in iure particulari statuatur quibus de iis provideatur quae ad finem Conventus necessaria sunt, e.g. de stabili Secretaria, de Commissionibus praeparatoriis et aliis huiusmodi. De cetero conferatur relatio de his canonibus publici iuris facta in *Nuntia* 7, pagg. 39-46.

Territoria Ecclesiarum patriarchalium atque potestas Patriarcharum eorumque Synodorum extra haec territoria (cann. 118-126). De hoc capite ampla extat relatio in *Nuntia* 6 pagg. 3-33, anglico sermone exarata. Canones hi, novi, elaborati sunt post profundiores investigationes circa primi millennii disciplinam, circa praxim hodiernam Orthodoxorum eorumque in re nondum solutarum quaestionum, circa sociologica rerum adiuncta in quibus christifideles orientales extra fines territorii propriae Ecclesiae versantes inveniuntur, necnon circa Concilii Vaticani II postulata.

Haec postulata praesertim de rebus quae sequuntur pertractant:

a) de aequali dignitate omnium Ecclesiarum particularium Orientis et Occidentis (OE 3); b) de necessitate ubique terrarum spirituali bono christifidelium orientalium providendi (OE 4); c) de rituum observantia (OE 6); d) de aggregatione ad normam iuris propriae Ecclesiae Hierarcharum extra fines territorii eiusdem Ecclesiae constitutorum (OE 2); e) de explicita delimitatione competentiae Patriarcharum ac Synodorum orientalium « intra fines territorii patriarchalis » (OE 9); f) de Episcoporum diocesanorum (eparchialium) primaria obligatione diversorum rituum christifidelibus suae curae commissis providendi (Decr. « Christus Dominus », n. 23), ita quidem ut eorundem christifidelium fundamentalis adscriptio proprii ritus Ecclesiae omni sub respectu salva tectaque maneat ipsique adamussim proprium ritum ubicumque observent necnon cognitionem et aestimationem eiusdem in dies maiorem acquirant ac cum proprio Patriarcha relationes foveant; g) de conceptu Patriarchae ut « patris et capitis » eiusdemque obligationibus erga christifideles in « diaspora », ut aiunt, versantes; denique, h) de Sedis Apostolicae iudicio atque exclusiva competentia in quaestionibus quae attinent ad constitutionem hierarchiae orientalis extra fines territoriorum Ecclesiarum orientalium.

Canones sub hoc capite collecti non ut compromissum, seu quoddam medium responsum rem suspendens, sed ut vera tot tamque implexarum quaestionum solutio proponuntur. Ex una parte integra servantur quae tradita atque a Concilio Vaticano II confirmata sunt, ex altera vero parte Patriarchis ac Synodis orientalibus media praebentur christifidelibus proprii ritus ubique terrarum sollerter ac pacifice pastoralis modo providendi.

Ad Hierarchas extra fines territorii Ecclesiarum patriarchalium constitutos quod attinet, aliquae mutationes iuris nunc vigentis, ex « Declaratione » S. Congregationis pro Orientalibus Ecclesiis diei 25 Martii 1970 statuti in schemate proponuntur. Inter cetera, notandum est, quod hi Hierarchae obligantur Synodis patriarchalibus interesse (can. 73). Attamen Synodo Episcoporum facultas tribuitur eorundem iura synodalia, ad votum deliberativum quod spectat, coarctandi, firmis canonibus de electione Patriarcharum vel Episcoporum (can. 125 § 1).

TITULUS IV

DE ECCLESIIS ARCHIEPISCOPALIBUS MAIORIBUS

De Archiepiscoporum Maiorum cum Patriarchis similitudine utiliter legi possunt paginae 33-34 in *Nuntia* 2.

Canones « de Ecclesiis Archiepiscopalibus Maioribus » in separato titulo positi sunt ea ratione ut ex ipsa dispositione materiae eluceat a Patriarchalibus Ecclesiis distincta figura iuridica Ecclesiae sui iuris quae titulo Archiepiscopalis Maioris ornatur, simulque, alia ex parte, ut figura Archiepiscopi Maioris, congrua congruis referendo, brevi norma iuris, substantialiter fere patriarchalis esse statuatur, iuxta Concilii Vaticani II placitum in Decreto « Orientalium Ecclesiarum » n. 10 enunciatum: « quae de Patriarchis sunt dicta, valent etiam, ad normam iuris, de Archiepiscopis Maioribus, qui universae cuidam Ecclesiae particulari seu ritui praesunt ».

« Norma iuris » hac in re nunc vigens (M. P. « Cleri sanctitati » cann. 327, 329, 337; M. P. « Sollicitudinem Nostram » can. 21) praesumptione innixa est Archiepiscopos Maiores non pollere potestatibus quae in iure Patriarchis tribuuntur, nisi expresse aliud statuatur. In schemate vero hic proposito viceversa res se habet. Propterea necesse iam non est canones de Patriarchis agentes enumerare (ut in iure vigenti fit) qui de Archiepiscopis Maioribus etiam valent, sed, e contra, eos canones de Patriarchis tantummodo indicare qui de Archiepiscopis Maioribus non valent, ut de facto fit in canonibus 128 et 129 schematis. Exceptiones paucae sunt. Titulus IV, etiam si tribus canonibus tantummodo constans, omnes canones tituli praecedentis necnon cetera iuris communis de Patriarchis praescripta, etiam extra Codicem in futuro statuta, comprehendit, iis exceptis de quibus in hoc titulo vel alibi expresse aliud statuatur.

De confirmatione electionis Archiepiscopi Maioris ex parte Romani Pontificis canon 129 proponitur. Sedulo studio traditionis orientalium peracto, figura iuridica Archiepiscopi Maioris, ut vicaria fere Patriarcharum apparuit unde saltem confirmatione electio Archiepiscopi Maioris indigeat. De Archiepiscopis Maioribus Catholicae Ecclesiae insuper nullum dubium superest quin eorundem electio vel nominatio confirmari ad validitatem debuerit inde ab ipsa institutione Sedis Archiepiscopalis.

TITULUS V

DE ECCLESIIS METROPOLITANIS SUI IURIS

Primo legenti, fortasse, apparebit in hoc titulo canones 315, 317, 320, 322, 346 M. P. « Cleri sanctitati » recognitos esse. Titulus tamen potius novus dicendus est, cum in eo de speciali figura Ecclesiae sui iuris agatur,

nempe de Ecclesia quae a Metropolita regitur, qui potestate quidem super-episcopali gaudet, sed caret potestate super-metropolitana quae de iure propria est Patriarchae et etiam Archiepiscopi Maioris.

Titulus iste de iis tantummodo Ecclesiis Metropolitanis valere proponitur quae immediate nonnisi Romano Pontifici subiciuntur, nec ad ullam Ecclesiam Patriarchalem vel Archiepiscopalem Maiorem pertinent vel ei quocumque modo aggregatae sunt.

Metropolitae huiusmodi Ecclesias regentibus competit Consilium Hierarcharum de quo in can. 137 convocare, eidem praeesse vel illud transferre aut absolvere. Constitutio Consilii Hierarcharum sat similis proponitur quae « Conferentiae episcopalis » in iure occidentalis Ecclesiae praescribitur, eiusdem Consilii vero competentia alio modo definitur in can. 139. Hoc canone grave vacuum iuris impletur, et norma in re urget, cum eam Auctoritatem, ad Ecclesias Metropolitanas sui iuris quod spectat, definit cui Concilium Vaticanum II, genericis verbis, plura negotia maioris momenti committit (OE n. 17, 20, 23) et ad quam alia loca schematum futuri Codicis referuntur.

In canone 144 retinetur, alia formula, canon 323 M. P. « Cleri sanctitati ». De necessitate huius canonis nullum dubium superest, locus vero ei proprius in schematibus difficulter invenitur. Hic proponitur ut postremus tituli V, sub speciali tamen inscriptione, ponatur cum pateat in canone hoc de Metropolita sui iuris non agi, sed de eo cui demandata sunt vigilantiae potius officia, de quibus in can. 132 nn. 3-7, relate ad eparchias quae ad nullam provinciam ecclesiasticam pertinent.

TITULUS VI DE EPARCHIIS ET EPISCOPIS

Titulus hic in tria capita divisus est. In primo capite de iis normis agitur quae eparchias et Episcopos, sive eparchiales sive non, directe respiciunt; in secundo capite de organis Episcopum eparchialem coadiuvantibus praescripta proponuntur; in tertio vero de paroeciis et parochis sermo est. Hac divisione, ut visum est, structura eparchiae, utpote Ecclesiae singularis cui Episcopus eparchialis praest, plene in luce ponitur, praetermissis quibusdam minoris momenti difficultatibus, quae nulla systematica Codicis ordinatione ex toto vitari possunt.

Consultores Commissionis in hoc titulo elaborando dedita opera sequentia principia secuti sunt, quae notatu digna ad schema canonum intelligendum videntur.

1) Initio descriptio Ecclesiae eparchialis ponatur (can. 145), ex decreto « Christus Dominus » n. 14 desumpta; de circumscriptionibus eparchiae, magis in particulari nihil dicatur, cum haec ex ipsa Codicis ordinatione sufficienter constent.

2) Figura Episcopi eparchialis centralis sit. In Codice orientali ne admittatur divisio canonum in duas partes, quarum prima de Episcopis in genere, altera vero de Episcopis eparchialibus pertractet.

3) Definitiones plerumque vitentur itemque textus qui de theologicis potius notionibus circa effectus consecrationis episcopalis agantur.

4) Canones de Episcopis utpote sunt successores Apostolorum et membra Collegii Episcoporum alibi in C.I.C.O., si necesse, ponantur; in hoc titulo iidem supponuntur.

5) In Codice norma iuridica exprimantur quae in Concilii Vaticani II Constitutione dogmatica « Lumen gentium » n. 27 continentur de limitatione Episcoporum eparchialium potestatis quae nonnisi ex parte Supremae Ecclesiae Auctoritatis statui potest ita ut quae iure divino Episcopo eparchiali competunt omni tutela salva integra maneant (can. 147).

6) Exceptis normis de Episcopis Coadiutoribus et Auxiliariis, iura et obligationes Episcoporum titularium magis in particulari ne definiantur (can. 147).

7) Ad electiones Episcoporum quod attinet magis extollatur collegialis actio omnium Synodi sodalium in ipsa candidatorum praesentatione utpote traditioni orientalium necnon Concilii Vaticani II documentis maxime respondens.

Electio Episcoporum (cann. 148-155). Canones novi de electione Episcoporum (M. P. « Cleri sanctitati » canones 251-255) cum n. 9 Decreti « Orientalium Ecclesiarum » necnon cum normis specialibus pro quibusdam Ecclesiis patriarchalibus, absoluto Concilio Vaticano II, statutis et iam in praxim deductis plerumque congruunt. Ut maior sit Collegii Episcoporum pars in ipso elencho candidatorum, electioni Episcoporum praevis, componendo, pro omnibus Ecclesiis proponitur norma quae ad ius vigens pertinet (CS, can. 254 § 1), sed obligatoria huc usque non fuit: elenchus iste componitur « secreto scrutinio per partem suffragiorum absolute maiorem Synodi sodalium ».

Canonica eparchiae possessio, ut proponitur in can. 157, fit ipsa inthronizatione legitime peracta in qua coram clero et populo Litterae Apostolicae vel patriarchales de canonica provisione leguntur.

Iura et obligationes Episcoporum (cann. 158-181). Etsi quidam canones in M.P. « Cleri sanctitati » contenti, suppressi sunt, canones huius sectionis numero aucti sunt, attentis pluribus decretis Conciliaris « Christus Dominus » praescriptis necnon Sedis Apostolicae « post-conciliaribus » documentis de Episcopis agentibus, et in primis M. P. « Ecclesiae sanctae » diei 6 Augusti 1966.

Inter canones novos adnumeratur can. 169 de Hierarcharum variorum rituum in eodem territorio potestatem exercentium cooperatione (cf. etiam can. 52 § 2 et 292); can. 180 de renuntiatione ab officio eorum qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverunt vel munere suo perfungendo minus apti evaserint; can. 181 de titulo Episcopi emeriti eiusdemque congrua sustentatione.

Episcopi Coadiutores et Auxiliares (cann. 182-189). Canones huius sectionis firmiter adhaerent praescriptis in Decreto « Christus Dominus » nn. 25-26 contentis, retentis iuris vigentis notionibus de Episcopis Coadiutoribus et Auxiliariis (CS can. 417 § 2): Coadiutor datur Episcopo cum iure successionis, Auxiliaris autem sine iure successionis.

Sedes eparchialis vacans vel impedita (cann. 190-204). Imprimis de sede vacante quae ordinarie evenit agitur, deinde de sede impedita, quae exceptionem potius constituit. Hanc in sectionem etiam canones 249-250 M. P. « Cleri sanctitati », qui de iuribus Patriarchae, eparchiali sede vacante, tractant, in unicum canonem fusi, (can. 193) inserti sunt. Praescripta vigentis iuris (M.P. « Cleri sanctitati » cann. 467-482) substantialiter servantur, simpliciore forma expressa et verbis selectis, quae omne dubium remonent v.g. circa potestatem Patriarchae in sedem vacantem et « circa designationem Administratoris eparchiae vacantis » (cf. can. 191 § 1: CS cann. 469 et 473 § 1). Principio « Syncelli potestas expirat per sedis episcopalis vacationem » (CS can. 437 § 1) additur clausula « nisi ipse Episcopus sit » (can. 191 § 1; cf. can. 188 et 223 § 1), qua maioris momenti iuris vigentis mutatio introducitur.

In capite II, de organis Episcopum in regimine adiuvantibus, primo de Conventu eparchiali, deinde de Curia eparchiali, de Consiliis presbyterali et pastoralis, postremo de Protopresbyteris agitur.

In sectione de *Conventu eparchiali* (cann. 206-214) recogniti sunt canones 422-428 M. P. « Cleri sanctitati ». Maioris momenti mutationes iuris vigentis proponuntur in canonibus 207 et 209. In canone 207 praescriptio fit Conventum hoc « quinto saltem quoque anno » convocandum esse (CS can. 422 § 2 « decimo saltem quoque anno »). In canone 209 non solummodo omittitur clausula « laicis exclusis » (CS can. 424 § 1), sed positiva norma datur ut laici, sive viri sive mulieres, in hoc Conventu partes habeant, ita tamen ut eorum numerus tertiam partem sodalium Conventus non superet (can. 209 § 1 n. 8). Plura de his legi possunt in *Nuntia* 9, pagg. 34-36.

In sectione *De Curia eparchiali* (cann. 215-235) canones M. P. « Cleri sanctitati » 429-451, formulatione plerumque nova ac simpliciore, servantur, sedulo tamen inducta figura « Vicarii episcopalis » (Decr. « Christus Dominus » n. 27) utpote a « Vicario generali » distincta. Verumtamen, omnibus perpensis, visum est, terminos ad has figuras iuridicas quod attinet, in Oriente — graeci vel syriaci sermonis — ab antiquitate adhibitos servandos esse. Quo fit ut vox *Protosyncellus* in schemate « Vicarium generalem »,

vox vero *Syncellus* « Vicarium episcopalem » designet. Syncellus non in tota eparchia, sed tantummodo in determinata eius parte aut in certo negotiorum genere ea gaudet potestate quam ius commune Protosyncello (Vicario generali) tribuit.

Constitutio Protosyncelli in unaquaque eparchia, minoris etiam magnitudinis, ut obligatoria proponitur in canone 217. Hoc enim videtur menti Concilii Vaticani II (Decr. « Christus Dominus » n. 27) magis congruere et ab ipso recto regimine eparchiae expostulari.

In canone 219 § 1 praescribitur, praeter alia, ut Protosyncellus coelebs sit, addita tamen clausula vi cuius huic normae a iure particulari derogari potest.

In canone 223 § clausula « nisi episcopali dignitate aucti sint » in repetita canonis recognitione (de praevio textu cf. *Nuntia* 9, pagg. 41-42) retenta est, siquidem suspensio a munere Episcopi eparchialis analoga est sedis vacationi etiamsi temporanea sit.

In canone 224, de dotibus Cancellarii Curiae agente, requiritur, ut Cancellarius « presbyter vel diaconus » sit, quod pluribus Consultoribus initio non placuit (cf. *Nuntia* 9, pag. 44), sed, canone denuo mense Novembris 1979 recognito, fere unanimiter acceptum est.

Canones « de examinatore eparchialibus et parochis consultoribus » (M. P. « Cleri sanctitati » cann. 452-457) suppressi sunt. De his melius in sectione de Consilio presbyterali provisum est: loco examinerum eparchialium Episcopus ad alios rei peritos recurrere potest (CS can. 456 § 2).

In canonibus 234 et 235 recognitus est canon 438 M. P. « Cleri sanctitati » necnon canones 262 et 263 M. P. « Postquam Apostolicis Litteris ». Ius vigens substantialiter servatur, quibusdam mutatis, inter quae notare iuvat, laicos ad munus oeconomii eparchialis idoneos esse in schemate asseriri (can. 234 § 1 n. 1). De his canonibus cf. *Nuntia* 9, pagg. 47-48.

In sectione de *Consilio presbyterali et de Collegio consultorum eparchialium* (cann. 236-243) novi sunt omnes canones, postremo excepto. In hac sectione adamussim sequuntur principia a Concilio Vaticano II in Decreto « Presbyterorum ordinis » enunciata necnon normae in M. P. « Ecclesiae sanctae », diei 6 Augusti 1966, contentae. In canone 243, unico in quatuor §§ diviso, recogniti sunt canones 458-463 M. P. « Cleri sanctitati ». Collegium consultorum eparchialium ex sodalibus Consilii presbyteralis componi debet.

De « Capitulis canonicorum » canones 464-466 M. P. « Cleri sanctitati » omissi sunt, cum ad ius omnium Ecclesiarum Orientalium commune minime pertineant. Capitula haec, ubi in usu sunt, iure particulari regantur.

Sectio de *Consilio pastoralis* quattuor canonibus (can. 244-247) absolvitur. Canones sunt novi, Decreto « Christus Dominus » (n. 27) necnon M. P. « Ecclesiae sanctae » (I, 16) congruentes.

Sectio de *Protopresbyteris* (cann. 248-250), suo loco retinetur, decisione Coetus a Studiis Centrali, iis de quibus in *Nuntia* 9, pag. 85 nonobstantibus, cum Protopresbyteri proximiores Episcopi sint cooperatores (cf. Decr. « Christus Dominus » n. 29; M. P. « Ecclesiae sanctae » I, n. 19).

Caput III - De paroeciis, Vicariis paroecialibus ac de Rectoribus Ecclesiarum.

In hoc capite recogniti sunt canones 489-526 M. P. « Cleri sanctitati ».

Notio paroeciae ea traditur quae ex Constitutione « Sacrosanctum Concilium » n. 42 eruitur eaque completur Decreto « Christus Dominus » n. 23, 3, ubi de paroeciis personalibus, alia ratione ac territorio circumscriptis agitur. Huc additur votum a Patribus Concilii Vaticani II in Decreto « Presbyterorum ordinis » n. 23 enuntiatum, scilicet ut « systema sic dictum beneficiale relinquatur aut saltem ita reformetur ut pars beneficialis habeatur tamquam secundaria ». Quo fit, ut in schemate hic proposito, paroeciae ut beneficia ecclesiastica iam non considerentur. Quae cum ita sint, quaedam maioris momenti mutationes vigentis iuris proponuntur.

Canones 262 et 263 non fundantur supra functiones parochi ita reservatas (CS can. 503), ut « praestationes parochi cedant » (CS can. 504 § 3), etiamsi ab alio ac ipse parochus, persolvuntur, sed supra notionem servitii populi Dei ex parte omnium clericorum paroeciae addictorum. Praestationes vero omnes ad massam communem deferendae proponuntur, Hierarchae loci facta obligatione aequo modo de remuneratione parochi ceterorumque paroeciae clericorum providendi. Excipiuntur eae tantummodo praestationes quae occasione divinae Liturgiae, ad normam cann. 50-52 schematis « De cultu divino et praesertim de Sacramentis », percipiuntur.

De paroeciis pluribus simul presbyteriis committendis § 3 canonis 253 agit. Exceptio potius quam regula talis provisio paroeciae consideratur. Verumtamen norma quae hic proponitur, si viam ad huiusmodi paroecias erigendas non sternit, eas non prohibet, dummodo ius particulare accurate determinet iura et obligationes singulorum clericorum istis paroeciis addictorum.

Distinctio inter parochos amovibiles et inamovibiles ipso Concilio Vaticano II (Decr. « Christus Dominus » n. 31) abrogata est, nec tamen hoc obstat quominus in can. 256 stabilitas officii parochi sustineatur, iis casibus exceptis qui ibidem expresse nominantur.

In canone 261 munus parochorum ipsis Concilii Vaticani II verbis (Decr. Christus Dominus » n. 30), technicis tamen vocibus ad Orientem aptatis, luculenter describitur. Optime hunc canonem cum natura pastoralis Codicis orientalis consonum esse, nemo est qui non videat.

Circa Consilia paroecialia, variis Ecclesiarum adiunctis rite perpensis, can. 267 proponitur. Obligatio curandi erectionem horum Consiliorum, opportunis normis editis, ex parte Hierarchae loci potius quam parochorum directe in canone affirmatur.

Plura de canonibus huius sectionis cf. in *Nuntia* 9, pagg. 62-85.

TITULUS VII DE EXARCHIIS ET EXARCHIS

In hoc titulo recogniti sunt canones 362-391 M. P. « Cleri sanctitati », in quibus de tribus speciebus Exarchorum normae traduntur, scilicet *a)* de Exarchis cum territorio proprio; *b)* de Exarchis Apostolicis; *c)* de Exarchis patriarchalibus.

Omnibus perpensis, hae variae species sub unica inscriptione redactae sunt.

Imprimis de exarchia agitur quam Exarchus regit nomine non proprio sed illius qui eum nominavit (Sedis Apostolicae vel Patriarchae). Secundo tantum loco, forte ut exceptio quaedam, nominatur exarchia (can. 283 § 2) cum proprio populo, quae assimilatur, technicis Latinae Ecclesiae vocibus adhibitis, « praelaturae aut abbatiae nullius ».

Spes est ut hi canones, numero reducti, figuram Exarchi, sive a Romano Pontifice (inde vocabitur ut in praesens *Exarchus Apostolicus*) sive a Patriarcha orientali (*Exarchus patriarchalis*) nominati, in clariore luce ponant, omissis iis quae iure particulari vel ipsis nominationis Litteris statui possint.

TITULUS VIII DE CONVENTIBUS HIERARCHARUM INTERRITUALIBUS

Neminem latet qua vi Concilii Vaticani II Patres periodicos conventus inter Hierarchas variorum rituum in eodem territorio potestatem exercentes commendaverit, gravissimis verbis additis de provehenda unitate actionis quae maxime ad bonum religionis confert (Decretum « Orientalium Ecclesiarum » n. 4; Decretum « Christus Dominus » n. 38, 6).

Neminem etiam latet, plures species Conventum interritalium, Sacrae Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus opera, his postremis temporibus in Orientalibus regionibus constitutas esse, quarum actio permagno emolumento est animarum saluti omnique Ecclesiae sui iuris, quae in his Conventibus partem habet. Statuta extant decem huiusmodi Conventuum, inter quae notare iuvat praesertim « Textes fondamentaux concernant l'Assemblée des Patriarches et Evêques Catholiques au Liban ».

Diligenti studio submissis statutis horum Conventuum ac sedulo perpensa natura notionis « Ecclesiae sui iuris », canon unicus huius tituli a Coetu a Studiis de S. Hierarchia confectus est. Spes est ut canone hoc congrue obsecundatur votis Concilii Vaticani II de cooperatione interritali, adamusim tamen servata, ab eodem Concilio decreta (Decr. Orientalium Ecclesiarum n. 9) natura *sui iuris* Ecclesiarum patriarchalium. Decisiones horum Conventuum nulli possunt iuri derogare, nisi, ut patet, ab ipso Romano Pontifice adprobatae fuerint.

CANONES PRAELIMINARES

Can. 1

Canonibus huius Codicis omnes et solae Orientales Ecclesiae Catholicae tenentur, nisi aliud ex natura rei constet.

Can. 2

Codex plerumque non respicit normas liturgicas; si vero earum aliqua Codicis canonibus sit contraria pro nulla habetur.

Can. 3

Codicis canones initas aut adprobatas ab Apostolica Sede cum nationibus aliisque societatibus politicis conventiones non abrogant nec iis derogant; eadem perinde ac in praesens vigere pergent, contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus.

Can. 4

Iura quaesita, itemque privilegia quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive iuridicis concessa, in usu sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur.

Can. 5

§ 1. Vigentes in praesens contra horum praescripta canonum consuetudines sive universales sive Ecclesiis Orientalibus communes sive particulares, quae ipsis canonibus huius Codicis reprobantur, tanquam iuris corruptelae prorsus suppressae habeantur, nec in posterum reviviscere sinantur; ceterae quoque suppressae sunt, nisi expresse Codice aliud caveatur aut centena-

riae sint vel immemorabiles, quae quidem, si de iudicio Hierarchae pro locorum ac personarum adiunctis submoveri nequeunt, tolerari possunt.

§ 2. Consuetudines praeter ius hucusque vigentes servantur.

Can. 6

§ 1. Hoc Codice vim obtinente, abrogatae sunt omnes leges ac normae a quacumque Auctoritate editae quae materias respiciunt quae hoc Codice ordinantur.

§ 2. Canones tamen huius Codicis, quatenus ius vetus referunt, aestimandi sunt ratione etiam canonicae traditionis habita.

Can. 7 (PA 302)

Nomine *Sedis Apostolicae* vel *Sanctae Sedis* in hoc Codice intelleguntur non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura aut sermonis contextu aliud appareat, Dicasteria aliaque Instituta, quae auctoritate Ipsius Romani Pontificis munus sibi commissum explent, in bonum omnium Ecclesiarum.

Can. 8 (PA 303 § 2; CS 15)

Quoties in canonibus huius Codicis praescribitur vel commendatur ut Hierarchae, clerici vel ceteri christifideles cuiusvis ritus aliquid agant vel omittant, Hierarchae, clerici et christifideles latini quoque ritus comprehenduntur.

TITULUS I

DE ECCLESIIS SUI IURIS ET DE RITIBUS

Can. 9 (PA 303 § 1, n. 1)

§ 1. 1) Nomine ritus intelligitur patrimonium liturgicum, theologicum, spirituale, et disciplinare, cultura ac rerum adiunctis historiae populorum distinctum, quod modo fidei vivendae uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris proprio exprimitur.

2) Ritus de quibus hoc in Codice agitur sunt, nisi aliud constet, illi oriundi ex traditionibus alexandrina, antiochena, armena, chaldaea, vel constantinopolitana.

§ 2. Coetus fidelium hierarchia ad normam iuris iunctus quem uti sui iuris expresse vel tacite agnoscit Suprema Ecclesiae universalis Auctoritas vocatur in hoc Codice *Ecclesia sui iuris*.

Caput I

DE ADSRIPTIONE ALICUI ECCLESIAE SUI IURIS

Can. 10 (CS 6)

§ 1. Ipso baptismo quisquis adscribitur Ecclesiae patris, si vero sola mater sit catholica (vel si ambo parentes consentiant), Ecclesiae matris.

§ 2. Postumus et naturalis (illegitimus), nisi a patre publice recognitus, pertinet ad Ecclesiam matris; expositi vel derelicti vero ad Ecclesiam patris adoptivi, tutoris, vel, in eorum absentia, ad Ecclesiam Hierarchae cui subiecti sunt ii quorum curae isti sunt commissi.

Can. 11 (CS 8)

§ 1. Nemo potest sine licentia Sedis Apostolicae ad aliam Ecclesiam sui iuris valide transire.

§ 2. Attamen licentia Sedis Apostolicae praesumitur si Hierarchae Ecclesiarum a qua et ad quam transitus fit, gravi de causa, scripto consentiant.

Can. 12 (CS 9)

Integrum est coniugi ad Ecclesiam alterius coniugis transire in matrimonio ineundo vel eo durante; matrimonio autem soluto libere potest ad pristinam Ecclesiam redire.

Can. 13 (CS 10)

Si ad aliam Ecclesiam sui iuris legitime transeat pater, aut in mixto matrimonio mater catholica, filii impuberes ad eandem Ecclesiam, ipso iure transeunt; ceteri vero filii minoris aetatis transire possunt, si ipsi volunt.

Can. 14 (CS 11)

Baptizati cuiusvis Ecclesiae vel Communitatis acatholicae ad plenitudinem communionis catholicae convenientes, ad Ecclesiam proprii ritus adscribuntur (1), salvo iure recurrendi ad Sedem Apostolicam in casibus peculiaribus personarum, communitatum vel regionum.

Can. 15 (CS 12)

Non christiani baptismum recipientes eligere possunt quamcumque Ecclesiam sui iuris.

(1) Parili suffragatione Consultorum proponitur ut loco verbi «adscribuntur» de validitate clausula sequens ponatur: «valide adscribi possunt tantummodo Ecclesiae proprii ritus».

Can. 16 (CS 13)

§ 1. Nisi Sedis Apostolicae rescriptum aliter ferat, adscriptio Ecclesiae quae non fit ipso baptismo vel transitus ad aliam Ecclesiam sui iuris vim habet a momento declarationis factae coram eiusdem Ecclesiae Hierarcha vel parocho proprio aut sacerdote ab alterutro delegato et duobus testibus, excepto transitu qui, praemissa coniugis scripta declaratione, fit in matrimonio ineundo.

§ 2. Ii de quibus in § 1 curare debent ut omnis transitus ad aliam Ecclesiam sui iuris vel adscriptio ei in libro baptizatorum adnotetur.

Can. 17 (CS 15)

Fideles orientales, etsi curae Hierarchae vel parocho a propria diversae Ecclesiae sui iuris commissi, propriae tamen Ecclesiae permanent adscripti.

Caput II

DE RITIBUS SERVANDIS

Can. 18 (CS 1 § 1; OE 1, 2, 5)

Ritus orientales, tamquam patrimonium universae Christi Ecclesiae in quo elucet ea quae ab Apostolis per Patres est traditio, quod et fidei catholicae divinam unitatem in varietate affirmat, religiose servantur.

Can. 19 (CS 1 § 2; OE 6)

Patriarchae, Archiepiscopi Maiores, omnesque Hierarchae studiosissime curent fidem custodiam et accuratam observationem sui ritus, ac nonnisi ratione proprii et organici progressus mutationes admittant, prae oculis tamen habitis mutua benevolentia et unitate Christianorum.

Can. 20 (CS 2; OE 6)

Sacri ministri, monachi ceterique sodales Institutorum vitae consecratae omnes, proprios ritus maxima fidelitate observare tenentur, necnon cognitionem eorum in dies maiorem usumque perfectiorem acquirere tenentur.

Can. 21 (CS 2 § 2; OE 6)

Orientalium Ecclesiarum fideles proprium ritum ubicumque observare debent necnon cognitionem et aestimationem eiusdem foveant, et, quantum fieri potest, ecclesias proprii ritus crebro, diebus praesertim dominicis et festis, adeant.

Can. 22 (CS 7 et 1 § 3)

Nemo quemvis fidelem, ad alium ritum assumendum, ullo modo inducere praesumat.

TITULUS II
DE SUMMO PONTIFICE DEQUE
COLLEGIO EPISCOPORUM

Can. 23 (bis, ter, etc.)

Canones huius tituli in C.I.C. anno 1983 promulgato, in sectione « De Suprema Ecclesiae Auctoritate », inveniuntur, hoc in loco inserendi.

TITULUS III
DE ECCLESIIS PATRIACHALIBUS

Can. 24 (CS 216 § 1)

Secundum antiquissimam Ecclesiae traditionem, singulari honore prosequendi sunt Ecclesiarum Orientalium Patriarchae qui propriae Ecclesiae patriarchali tamquam pater et caput praesunt.

Can. 25 (CS 216 § 2 n. 1°)

Nomine Patriarchae venit Episcopus cui competit potestas in omnes Episcopos, haud exceptis Metropolitibus, clerum et populum propriae Ecclesiae patriarchalis, ad normam iuris a Suprema Ecclesiae Auctoritate probati.

Can. 26 (CS 159, 217, 218)

§ 1. Constitutio, restitutio, immutatio et suppressio Ecclesiarum patriarchalium Supremae Ecclesiae Auctoritati reservatur.

§ 2. Titulum unicuique Ecclesiae patriarchali legitime agnitum vel concessum tantum Suprema Ecclesiae Auctoritas immutare potest.

§ 3. Singulae Ecclesiae patriarchales intra limites proprii territorii habere debent fixam sedem residentiae in civitate principe e qua Patriarcha titulum desumit, inquantum fieri potest, constitutam quae transferri nequit nisi gravissimis de causis cum consensu Synodi Episcoporum, habito Romani Pontificis assensu.

§ 4. Illi qui olim Patriarchae fuerunt et suo officio ad normam iuris renunciaverunt, suum titulum ac honores, in divinis officiis praesertim, servant, itemque ius habent ut ipsis digna sedes commorationis, de eorum con-

sensu, assignetur atque media ex bonis Ecclesiae patriarchalis praebeantur, quibus eorum sustentationi, proprio titulo congruae, provideatur, firmo quoad praecedentiam canone 29, § 2.

Can. 27 (CS 283 n. 11)

Patriarchae orientales ubicumque terrarum praecedunt omnes Episcopos cuiuscumque gradus salvis specialibus normis de praecedentia a Romano Pontifice statutis.

Can. 28 (CS 219 § § 1 et 2)

§ 1. Patriarchae Ecclesiarum orientalium, licet alii aliis tempore posteriores, omnes aequales sunt ratione dignitatis patriarchalis, salva inter eos honoris praecedentia ad normam § § 2-4 huius canonis.

§ 2. Ordo praecedentiae inter antiquas patriarchales Orientis Sedes is est ut primo loco veniat Sedes Constantinopolitana, post eam Alexandrina, deinde Antiochena, et post eam Hierosolymitana.

§ 3. Inter ceteros Orientis Patriarchas praecedentia ordinatur iuxta antiquitatem institutionis Sedis.

§ 4. Inter Orientis Patriarchas qui unius eiusdemque sunt tituli, diversas tamen Ecclesias sui iuris regunt, praecedentiam obtinet qui prior promotus est ad dignitatem patriarchalem.

Can. 29 (CS 219 § 3)

§ 1. Patriarcha omnis in ecclesiis vel in divinis officiis proprii ritus praecedit ceteris Patriarchis, etsi Sedis titulo potioribus vel promotione prioribus.

§ 2. Patriarcha qui actu potestatem patriarchalem obtinet praecedit illis qui titulum Sedis patriarchalis olim habitae adhuc servant; eadem norma valet etiam de Patriarchis mere titularibus.

Can. 30 (CS 220)

Patriarcha Procuratorem apud Sedem Apostolicam habet, ab ipso designatum praevio consensu Romani Pontificis.

Caput I

DE ELECTIONE PATRIARCHARUM

Can. 31 (CS 221)

Patriarcha canonice eligitur in Synodo Episcoporum ad normam canonum legitime convocata et rite coadunata.

Can. 32 (CS 222 et 223)

§ 1. Synodus coadunari debet in ipsa patriarchali residentia, aut alio in loco, ab Administratore Ecclesiae patriarchalis cum consensu Synodi permanentis, designando.

§ 2. Synodi coadunatio fieri debet intra mensem a die vacationis, firmo iure particulari longius tempus, non autem ultra bimestre, statuente.

Can. 33 (CS 224)

§ 1. In electione Patriarchae voce activa fruuntur omnes et soli Synodi sodales.

§ 2. Vetitum est quemlibet alium praeter Synodi sodales electioni Patriarchae in aula interesse, iis clericis exceptis qui ad normam canonis 38 in scrutatores vel actuarios Synodi assumuntur.

§ 3. Praeter Sedem Apostolicam vel Synodi sodales, nemo quoquo modo, sive ante Synodum sive Synodo durante, in electionem Patriarchae se immittere potest.

Can. 34

In electionibus Patriarcharum unice servari debent praescripta canonum NN(2) « de electionibus », remota quavis contraria consuetudine, nisi aliud in canonibus qui sequuntur statutum sit.

Can. 35 (CS 225)

§ 1. Episcopi omnes, legitime convocati, gravi obligatione tenentur ut intersint electioni.

§ 2. Si iusto existiment se detineri impedimento, scripto suas rationes aperiant Synodo, cuius iudicio stare debent.

Can. 36 (CS 226)

§ 1. Convocatione legitime facta, si duae tertiae partes membrorum Synodi, demptis iis qui legitimo sunt impedimento detenti, in loco designato praesentes sunt, Synodus canonica declarabitur et ad electionem procedi potest.

§ 2. Ius eligendi praesentibus in electionis loco reservatur, exclusa facultate ferendi suffragium non solum per epistolam sed etiam per procuratorem.

(2) Intelliguntur hic canones iuris communis « de electionibus ».

Can. 37 (CS 227)

Nisi ius particulare aliter statuatur, Synodo de eligendo Patriarcha praesidet qui inter praesentes ad normam canonis NN(3) « De personis iuridicis » in prima sessione electus fuerit; interim praesidentia Administratori patriarchali reservatur.

Can. 38 (CS 228, 239)

§ 1. Scrutatores et actarius ad normam iuris particularis assumi possunt etiam inter presbyteros et diaconos qui, a Synodo vocati, statim coram ipsa Synodo Deo promittere debent se munus fideliter impleturos et inviolabile secretum servaturos circa acta in comitiis et circa nomina auctorum suffragiorum quae ipsis Patribus Synodi semper ignota remanere debent.

§ 2. Circa ea quae scrutinia directe vel indirecte respiciunt omnes et singuli qui Synodo intersunt gravi obligatione tenentur servandi secretum officii.

Can. 39 (CS 230)

§ 1. Is electus habeatur qui, demptis suffragiis nullis, duas ex tribus suffragiorum partes rettulerit.

§ 2. Scrutinia repeti debent donec duae ex tribus partes in eundem candidatum conveniant.

Can. 40 (CS 231)

Singularum Ecclesiarum est, ex iure in Synodo Episcoporum statuto, recensere ea quae requiruntur ut quis ad patriarchalem dignitatem idoneus habeatur, salvo semper quae in canone 148 praescribuntur, et excluso a voce passiva Episcopo qui depositus sit necnon illis de quibus in canone NN(4) « De electionibus » nn. 1, 3, 4.

Can. 41 (CS 232)

Si electio intra quindecim dies ab inita Synodo non peragitur, casus devolvitur ad Romanum Pontificem.

Can. 42 (CS 233)

Electio ad normam iuris peracta, illico a praeside, vel si praeses fuerit electus, ab antiquiore ordinatione episcopali, totius Synodi nomine, formula modoque in singulis ritibus receptis, electo intimanda est; si vero de illo

(3) Agitur de canone 29 Motu proprio « Cleri sanctitati » utpote recognito in schemate « De normis generalibus... » (can. 19).

(4) Agitur de canone 109 Motu proprio « Cleri sanctitati » utpote recognito in schemate « De normis generalibus... » (can. 42).

agatur de quo in canone 44 § 2 intimatio fiat statim ac omnia canonibus ad proclamationem episcopalem requisita peracta sunt.

Can. 43 (CS 234)

Electus intra biduum utile a recepta intimazione, manifestare debet num electioni consentiat; si vero renuntiat, aut si intra biduum non respondet, omne ius ex electione quaesitum amittit.

Can. 44 (CS 235)

§ 1. Si electus acceptaverit et sit Episcopus ordinatus, Synodus, audito Romano Pontifice, procedat, iuxta praescripta liturgica suae Ecclesiae, ad eius proclamationem et inthronizationem; si vero de Episcopo iam legitime proclamato agatur sed nondum ordinato, inthronizatio fieri nequit antequam electus episcopalem ordinationem recipiat.

§ 2. Si de illo agatur qui nondum sit Episcopus legitime proclamatus, Synodus suspenditur usquedum omnia canonibus ad proclamationem episcopalem requisita peragantur, servato ab omnibus qui quomodolibet electionis exitum noverant secreto, etiam adversus electum firmo can. 42, donec Synodus ad normam § 1 eum in Patriarcham proclamet.

Can. 45 (CS 236, 235 § 3 n. 2)

§ 1. Synodus per synodicas litteras ad Romanum Pontificem referre debet de electione canonice peracta atque de fidei professione deque promissione fideliter munus suum gerendi a novo Patriarcha coram Synodo, iuxta probatas formulas, pronuntiatis. Synodicae litterae de electione peracta mittantur quoque ad Patriarchas aliarum Ecclesiarum Orientalium.

§ 2. Novus Patriarcha per litteras propria manu subscriptas expostulare debet a Romano Pontifice ecclesiasticam communionem.

Can. 46 (CS 238)

Patriarcha canonice electus valide exercet suum officium tantummodo ab inthronizatione qua plenum ius in id officium obtinet; sed, antequam ecclesiasticam communionem a Romano Pontifice acceperit prohibetur ne Synodum Episcoporum convocet et Episcopos ordinet.

Caput II

DE IURIBUS ET OBLIGATIONIBUS PATRIARCHARUM

Can. 47 (CS 240, 241)

Potestas, quae Patriarchae ad normam canonum et legitimarum consuetudinum in Episcopos, clerum et populum suae Ecclesiae competit, est ordinaria, ipse tamen non valeat Protosyncellum pro tota Ecclesia patriarchali constituere.

Can. 48

Patriarcha iuridicam personam sustinet Ecclesiae cui praeest in omnibus negotiis iuridicis ad ipsam spectantibus ad normam canonum.

Can. 49 (CS 244)

Summi Pontificis acta ad Ecclesiam cui Patriarcha praeest pertinentia, Episcopis aliisque ad quos pertinet, per ipsum Patriarcham nota fiant, nisi Sedes Apostolica in casu directe providerit; si casus ferat, Patriarcha, opportunis mediis adhibitis, acta illa etiam clero et populo notificet.

Can. 50 (CS 245)

§ 1. Patriarcha proprio iure valet:

1° edicta, mandata atque ordinationes generales, pro toto etiam territorio Ecclesiae cui praeest, ferre, ad legum applicationem definiendam earumque executionem urgendam;

2° instructiones ad clerum populumque dirigere ad sanam doctrinam exponendam, pietatem fovendam, abusus corrigendos et exercitia quae spirituale fidelium bonum foveant approbanda et commendanda;

3° encyclicas litteras universae Ecclesiae cui praeest dare circa quaestiones ad propriam Ecclesiam ac ritum pertinentes.

§ 2. Patriarcha Episcopis, clero, monachis ceterisque sodalibus Institutorum vitae consecratae, iubere potest ut suae ordinationes, instructiones, litterae publice in ecclesiis, ecclesiasticis ac religiosis domibus, legantur et exponantur.

§ 3. Ne omittat Patriarcha in omnibus quae universam Ecclesiam patriarchalem spectant vel graviora negotia respiciunt Synodi permanentis vel Episcoporum, vel etiam Conventus patriarchalis, consilio uti.

Can. 51 (CS 246)

§ 1. Salvo iure et officio singulorum Episcoporum canonice visitandi proprias eparchias, Patriarcha ius et officium habet pastorem visitationem

in totum territorium Ecclesiae patriarchalis peragendi temporibus iure particulari statutis.

§ 2. Patriarcha valet, gravi de causa et de consensu Synodi permanentis, aliquam ecclesiam, civitatem, eparchiam per se aut per alium Episcopum visitare et tempore huius visitationis omnia, quae in canonica visitatione Hierarchae competunt, peragere.

Can. 52 (CS 247)

§ 1. Patriarcha, praeter convocationem Synodi Episcoporum vel Conventus patriarchalis, foveat frequentes collationes inter Hierarchas, Superiores monasteriorum sui iuris ceterorumque Institutorum vitae consecratae Superiores generales, aliosque, clericos vel laicos, quos pro sua prudentia convocandos censuerit, de rebus pastoralibus aliisque negotiis quae aut universam Ecclesiam cui Patriarcha praeest aut aliquam provinciam vel regionem respiciunt.

§ 2. Maxime curet Patriarcha ut sive ipse sive Hierarchae propriae Ecclesiae, collatis consiliis, praesertim in Conventibus interritualibus, cum Patriarchis ac Hierarchis aliarum Ecclesiarum in eodem territorio potestatem suam exercentibus, unitatem actionis inter se, clerum et fideles diversorum rituum promoveant, et, viribus unitis, communia adiuvent opera ad bonum religionis expeditius promovendum, disciplinam ecclesiasticam efficacius tuendam necnon omnium christianorum unitatem concorditer fovendam.

Can. 53 (CS 248)

§ 1. Patriarcha, gravi de causa, de consensu Synodi Episcoporum et consulta Sede Apostolica, valet provincias et eparchias erigere, aliter circumscribere, unire, dividere, suppressere, earumque gradum hierarchicum immutare, sedemque episcopalem transferre.

§ 2. Patriarchae de consensu Synodi Episcoporum competit:

1° acceptare Episcoporum renuntiationes ipsi factas, firmo can. 180;
2° Episcopo residentiali Coadiutorem vel Auxiliarem dare, servatis canonibus 149-155;

3° gravi de causa Metropolitae vel Episcopos residentiales aut titulares ab una ad aliam eparchiam residentialem vel titularem transferre. Si vero Metropolitae vel Episcopi renuant, Synodus ipsa rem dirimat vel casus ad Romanum Pontificem deferatur.

§ 3. Patriarcha de consensu Synodi permanentis potest exarchias erigere vel suppressere, earundem fines immutare.

§ 4. De decisionibus de quibus in §§ 2 et 3 Patriarcha quamprimum Sedem Apostolicam certiore faciat.

Can. 54 (CS 256)

§ 1. Patriarchae competit:

1° ius ordinandi Metropolitam per se vel, si impeditus fuerit, per alios Episcopos necnon, si ius particulare id ferat, ordinandi etiam Episcopos electos seu nominatos suae Ecclesiae;

2° electum Metropolitam, post ordinationem episcopalem, inthronizare;

3° Episcopo rite electo provisionem canonicam eparchiae aliusve in Ecclesia officii ad normam iuris conferre.

§ 2. Actus de quibus in § 1 ne differantur ultra tres menses ab electione Metropolitae vel Episcopi computandos ac de illis Sedis Apostolica a Patriarcha certior fiat.

Can. 55 (CS 257)

Patriarcha potest curare, dummodo congruae eorum sustentationi provisum sit, ut in Synodo Episcoporum ad normam canonum 149-154 eligantur aliqui Episcopi titulares, non tamen ultra tres, quibus officium cum residentia in curia conferat, eosque, omnibus ad proclamationem episcopalem requisitis peractis, ordinare.

Can. 56 (CS 259)

§ 1. Episcopi omnes Patriarchae, tamquam patri et capiti eiusdem Ecclesiae, honorem et obsequium exhibeant, debitamque obtemperantiam praestent; Patriarcha vero omnes Episcopos suae Ecclesiae qua par est reverentia prosequatur et fraterna caritate complectatur.

§ 2. Nisi aliud iure statuatur, controversias quae inter Episcopos forte oriantur Patriarcha componere curet.

Can. 57 (CS 260)

§ 1. Patriarchae ius et officium est clericis universae Ecclesiae cui praeest vigilandi: si quis poenam mereri videatur, Hierarcham eius moneat et, monitione incassum facta, in clericum ipse ad normam iuris animadvertat.

§ 2. Munus expediendi negotia, quae totam Ecclesiam patriarchalem respiciunt, Patriarcha committere potest clerico cuilibet, audito eius Hierarcha, nisi ius particulare consensum eiusdem Hierarchae requirat, atque hunc clericum, munere perdurante, etiam a proprii Hierarchae potestate eximere sibi immediate subiicere.

§ 3. Clericum quemlibet dignitate, in proprio patrimonio rituali recepta, Patriarcha augere potest, dummodo ipsius clerici Hierarchae consensus

scripto datus accedat, firmo canone NN(5) « De monachis ceterisque religiosis... ».

Can. 58 (CS 263)

§ 1. Patriarcha valet, audito loci Hierarcha, gravi de causa atque de consensu Synodi permanentis, locum vel institutum ecclesiasticum ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinatum, in actu foundationis a potestate Hierarchae loci eximere sibi que reservare, firmo canone NN(6) « De monachis ceterisque religiosis... ».

§ 2. Personae quaevis quae ad locum vel institutum de quo in § 1 non pertineant, tempore quo eidem loco vel instituti sunt addictae, a potestate Hierarchae loci eximuntur et uni Patriarchae subiiciuntur in iis omnibus quae ad suum munus seu officium aut loci vel instituti disciplinam spectant.

§ 3. In his locis et institutis ad unum Patriarcham spectant iura et officia Hierarchae loci circa bonorum Ecclesiae temporalium administrationem et circa contractus.

Can. 59 (CS 272)

Patriarcha commemorari debet in divinis officiis, post Romanum Pontificem, ab omnibus Episcopis ceterisque clericis.

Can. 60 (CS 273, 274, 275)

§ 1. Patriarcha manifestet hierarchicam communionem cum Romano Pontifice, beati Petri Successore, profitendo fidelitatem, venerationem et oboedientiam quae debentur universae Ecclesiae Pastori.

§ 2. Commemorationem ipsius Romani Pontificis in signum plenae communionis in divina Liturgia ceterisque divinis officiis, iuxta liturgicas leges propriae Ecclesiae, Patriarcha facere debet et curare ut ipsa ab omnibus Hierarchis ceterisque clericis propriae Ecclesiae fideliter fiat.

§ 3. Patriarchis cum Romano Pontifice frequens sit consuetudo ac, iuxta normas ad hoc specialiter statutas, ipsi relationes de statu Ecclesiarum quibus praesunt exhibeant necnon, intra annum ab eorum electione dein pluries durante munere, visitationem ad Urbem peragant Beatorum Apostolorum Petri et Pauli limina veneraturi atque Petri Successori in primatu super Ecclesiam universam se sistant.

Can. 61 (CS 276)

Patriarcha resideat in sede patriarchali a qua abesse non potest nisi canonica ex causa.

(5) Sermo est de canone 47 Motu proprio « Postquam Apostolicis Litteris » utpote recognito in schemate « De monachis... etc. (cf. *Nuntia* 16 pag. 23 canon 18).

(6) Sermo est de canone 126 schematis « De monachis... » (cf. *Nuntia* 11 p. 47 et *Nuntia* 16 p. 94).

Can. 62 (CS 277)

Divinam Liturgiam pro populo totius Ecclesiae cui praeest Patriarcha celebrare debet diebus festis iure particulari statutis.

Can. 63 (CS 278)

§ 1. Episcoporum officia de quibus in canone 163, tenent Patriarcham pro universo territorio Ecclesiae cui praeest, firmo singulorum Episcoporum officio.

§ 2. Patriarcha diligenter vigilet ut Episcopi ceterique locorum Hierarchae pastoralis muneri fideliter satisfaciant et in suis eparchiis resideant; ipsorum zelum excitet; si in aliquo graviter offenderint, eos, audita Synodo permanenti, si periculum in mora non adsit, monere ne omittat et, si monitiones optandum effectum non sortiantur, ad normam iuris procedat.

Can. 64 (CS 279)

§ 1. Quod attinet ad orationes et pietatis exercitia, dummodo ea proprio ritui consonent, Patriarcha fruitur in universa Ecclesia cui praeest potestate qua gaudent Hierarchae locorum, audita Synodo permanenti.

§ 2. Ad Patriarcham, de consensu Synodi Episcoporum, ius pertinet, ubicumque terrarum, moderandi usum linguarum in sacris actionibus liturgicis sui ritus.

Can. 65 (CS 280)

Patriarcha diligenter invigilare debet rectae administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum in tota Ecclesia cui praeest, firmo singulorum Hierarcharum locorum officio ad normam canonis NN (7) « De bonis Ecclesiae temporalibus ».

Can. 66 (CS 281)

Patriarcha, praevio assensu Romani Pontificis, conventiones iuri ab Apostolica Sede statuto non contrarias, cum Auctoritate civili, de consensu Synodi Episcoporum, inire potest; easdem autem conventiones Patriarcha ad effectum ducere non potest nisi obtenta ipsius Romani Pontificis approbatione.

Can. 67 (CS 271)

§ 1. Patriarchae curent ut *Statuta personalia* iis in regionibus in quibus vigent ab omnibus serventur dummodo iuri divino vel canonico non sint contraria.

(7) Sermo est de canone 261 Motu proprio « Postquam Apostolicis Litteris » utpote recognito in schemate « De bonis Ecclesiae temporalibus »; cfr. *Nuntia* 13 p. 35, can. 93.

§ 2. Si plures Patriarchae eodem in loco potestate in *Statutis personalibus* agnita vel concessa utantur, expedit ut de gravioris momenti negotiis collatis consiliis statuant.

Can. 68 (CS 259 § 4)

Negotia quae plures eparchias respiciunt et civilem Auctoritatem tangunt Patriarcha ad se avocare potest; statuere autem de iisdem non valet nisi auditis locorum Hierarchis quorum res interest et de consensu Synodi permanentis; quod si res urgeat nec suppetat tempus ad coadunandos Episcopos Synodi permanentis sodales, horum vices in casu gerunt Episcopi in curia patriarchali officium cum residentia habentes, si adsint, secus vero duo locorum Hierarchae episcopali ordinatione antiquiores.

Can. 69 (CS 282)

Patriarcha in propria eparchia, itemque in iis locis ubi nec eparchiae nec exarchiae erectae sunt, gaudet iuribus et tenetur obligationibus Episcoporum eparchialium.

Can. 70 (CS 283 n. 8)

Patriarcha in suis litteris peculiari formula benedictionis, etiam Apostolicae, iuxta morem suae Ecclesiae uti valet.

Caput III

DE SYNODO EPISCOPORUM ECCLESIAE PATRIACHALIS

Can. 71 (CS 340 § 1, 341 § § 1 et 2, 343)

§ 1. Ad Synodum Episcoporum Ecclesiae patriarchalis vocantur in eaque suffragio deliberativo gaudent omnes et soli Episcopi ordinati eiusdem Ecclesiae ubicumque constituti, nisi ius particulare, ad suffragium deliberativum Episcoporum titularium quod attinet, aliter statuatur (et firmo can. 125 § 1).

§ 2. Firmo canone 33, pro certis negotiis expediendis, ad normam iuris particularis vel, de consensu Synodi permanentis, a Patriarcha alii vocari possunt, Hierarchae non Episcopi praesertim ac periti, ad eorum opiniones ac vota Episcopis in Synodo congregatis manifestanda.

Can. 72 (CS 340 § 1)

Patriarchae est Synodum Episcoporum convocare eique praeesse.

Can. 73 (CS 345, 222 et 227)

§ 1. Omnes Episcopi Ecclesiae patriarchalis gravi obligatione tenentur ut intersint Synodo.

§ 2. Si iusto existiment se detineri impedimento scripto suas rationes aperiant Synodo, cuius iudicio stare debent.

Can. 74 (CS 345)

Pro Synodo Episcoporum nemo ex eiusdem Synodi sodalibus sibi procuratorem instituere potest nec umquam duplici suffragio gaudet.

Can. 75

Firmis canonibus 39 et 151, integrum est Synodo Episcoporum, si casus ferat, latis normis statuere quot suffragia et scrutinia requiruntur ut decisiones synodales vim iuris obtineant, secus observari debet canon NN (8) « De personis iuridicis ».

Can. 76 (CS 344)

§ 1. Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis convocari debet: quoties expedienda sunt negotia ad exclusivam competentiam ipsius Synodi pertinentia aut pro quibus peragendis consensus vel consilium Synodi requiratur; quoties Patriarcha, consentiente Synodo permanenti, id necessarium iudicaverit; quoties tertia saltem pars Synodi sodalium, pro dato negotio, id postulaverit, salvis semper iuribus Patriarcharum, Episcoporum, aliarumque personarum in canonibus iuris communis statutis.

§ 2. Firma § 1, Synodus Episcoporum, lege ab ipsa Synodo lata, statis temporibus, etiam quotannis, convocari potest.

Can. 77 (CS 346)

Nisi ius particulare maiorem praesentiam exigat, et firmo canone 36 et canone 151, cuiuslibet Synodi sessiones canonicae atque singula scrutinia valida sunt, si maior pars Episcoporum qui obligatione tenentur Synodo interesse, praesens est.

Can. 78 (CS 347)

§ 1. Patriarcha Synodum Episcoporum aperit, necnon, de ipsius Synodi consensu, transfert, prorogat, absolvit.

(8) Agitur de canone 29 Motu proprio « Cleri sanctitati » utpote recognito in schemate « De normis generalibus... »: cf. *Nuntia* 13, p. 17, can. 19.

§ 2. Patriarchae quoque est, praeauditis Synodi sodalibus, ordinem servandum in quaestionibus examinandis praeparare, atque, initio sessionum Synodi, eorundem sodalium adprobationi subicere.

§ 3. Synodo durante singuli Episcopi propositis quaestionibus possunt alias addere, si saltem tertia pars eorum ad id consentiat.

Can. 79 (CS 348)

Synodo inchoata, nemini Episcoporum licet discedere a Synodi sessionibus nisi iusta de causa a Synodo probata.

Can. 80

§ 1. Synodo Episcoporum exclusive competit leges ferre iuri communi non contrarias pro tota Ecclesia proprii ritus, quae leges vim obtinent ad normam canonis 125 § § 2 et 3.

§ 2. Synodus Episcoporum est Supremum Tribunal in Ecclesia patriarchali ad normam canonum « de processibus ».

§ 3. Electionem Patriarcharum et Episcoporum Synodus peragit ad normam canonum 31-46 et 149-154.

§ 4. Actus administrativi Synodo Episcoporum non competunt, nisi pro certis actibus ipse Patriarcha aliud statuatur aut in iure communi actus aliqui Synodo Episcoporum reserventur et firmis canonibus qui consensum vel consilium Synodi Episcoporum requirunt.

Can. 81 (CS 350)

§ 1. Synodi sodales ipsimet designent modum et tempus promulgationis legum ac decisionum.

§ 2. Item de secreto servando circa acta et negotia pertractata ipsi Synodo est decidendum, salva obligatione secreti servandi in negotiis pro quibus assensus Romani Pontificis requiratur usquedum nuncium de praestito assensu ad Patriarcham pervenerit.

§ 3. Acta de legibus ac decisionibus latis quantocius Romano Pontifici in recognitionem transmittantur; certa acta vel etiam omnia cum ceteris Orientis Patriarchis ad iudicium Synodi communicentur.

Can. 82 (CS 243)

§ 1. Legum in Synodo Episcoporum latarum Patriarcha sedulo promulgationem curare debet, firmo canone 81.

§ 2. Legum Synodi Episcoporum usque ad futuram Synodum, authentica interpretatio Patriarchae, audita Synodo permanenti, competit.

Can. 83

Synodus Episcoporum Ecclesiae patriarchalis sua conficiat statuta in quibus, servatis canonibus iuris communis, normae provideantur de secretaria Synodi, de commissionibus praeparatoriis, de ordine procedendi, necnon alia media quae fini consequendo efficacius consulant.

Caput IV

DE CURIA PATRIARCHALI

Can. 84 (CS 286 et 287)

§ 1. Patriarcha penes suam sedem instructam habere debet curiam patriarchalem, a curia eparchiae Patriarchae propriae distinctam, quae constat Synodo permanenti, Tribunali patriarchali, Officio administrationis patriarchalis bonorum temporalium, Cancellaria patriarchali, Commissione de re liturgica necnon aliis Commissionibus vel Officiis de quibus in canonibus qui sequuntur vel quae iure particulari curiae patriarchali adiunguntur.

§ 2. Ad curiam patriarchalem pertinent illi omnes qui Patriarchae in regimine totius Ecclesiae cui praeest opem ferunt, imprimis Episcopi de quibus in canone 55, consultores patriarchales et personae quae ad Officia et Commissiones de quibus in § 1 constituenda requiruntur.

§ 3. Personae ad curiam patriarchalem pertinentes ex tota Ecclesia cui Patriarcha praeest et ex utroque clero seligi possunt, auditis Hierarchis quorum interest.

§ 4. Officia utriusque curiae Patriarchae, quatenus fieri possit in iisdem personis ne cumulentur.

Can. 85 (CS 289)

§ 1. Synodus permanens constat Patriarcha praeside et quattuor Episcopis ad quinquennium designatis.

§ 2. Horum Episcoporum tres a Synodo Episcoporum eliguntur, inter quos saltem duo ex residentialibus esse debent, unus vero a Patriarcha nominatur.

§ 3. Eodem tempore ac modo designentur quattuor, quantum fieri potest, Episcopi qui, ex ordine a Synodo Episcoporum determinato, Synodi permanentis sodales impeditos alternatim substituant.

§ 4. Synodi permanentis sodalis esse non potest Episcopus qui depositus sit nec ille de quo canon NN (9) « De electionibus ».

(9) Agitur de canone 109 § 1 Motu proprio « Cleri sanctitati » utpote recognito in schemate « De normis generalibus » cf. *Nuntia* 13, p. 23, can. 42.

Can. 86 (CS 290)

§ 1. Si Patriarcha impediatur quominus Synodo permanenti intersit, Synodi sessionibus praesidet antiquior ordinatione episcopali inter Synodi sodales, redintegrato quinario numero per Episcopum substitutum.

§ 2. Quoties Synodus permanens definire debet negotium quod personam alicuius Episcopi Synodi sodalis vel eius eparchiam tangat, hic quidem audiendus est, sed in Synodo ei substituatur alius Episcopus ad normam canonis 85 § 3.

Can. 87 (CS 291)

Acta Synodi permanentis praeses et omnes Synodi sodales qui Synodo interfuerunt subscribere debent.

Can. 88 (CS 292)

§ 1. Synodus permanens negotia decedit parte absolute maiori suffragiorum, quae si nulla sunt, pro negativis habentur.

§ 2. Firmo canone NN(10) « De electionibus » suffragia debent esse secreta, si de personis agatur; in ceteris vero casibus si saltem unus ex sodalibus id expresse petierit.

Can. 89 (CS 294)

Si quod negotium, ad Synodi permanentis competentiam pertinens, definiendum sit dum celebratur Synodus Episcoporum, negotii decisio Synodo permanenti reservatur, nisi Patriarcha de consensu Synodi permanentis decisionem negotii Synodo Episcoporum committere opportunum iudicaverit.

Can. 90 (CS 295)

Synodus permanens convocari debet bis in anno, statis temporibus et quoties Patriarcha id opportunum censuerit et quoties expedienda sunt negotia ad quae ius commune requirit consensum vel consilium Synodi.

Can. 91 (CS 296-297)

Ubi ob aliquam gravem causam, ad iudicium Synodi Episcoporum, Synodus permanens constitui non possit, causa perdurante, a Synodo Episcoporum eligantur, Sede Apostolica certiore facta, duo Episcopi, quorum saltem unus ex residentialibus esse debet, qui, simul cum Patriarcha, Synodi permanentis vices in omnibus suppleant.

(10) Sermo est de canone 111 Motu proprio « Cleri sanctitati » utpote recognito in schemate « De normis generalibus »; cf. *Nuntia* 13, p. 23, can. 43.

Can. 92 (CS 298)

In curia patriarchali constitui debet tribunal ordinarium patriarchale ad normam canonis NN (11) « De processibus ».

Can. 93 (CS 299)

§ 1. Pro administratione bonorum Ecclesiae patriarchalis, in curia patriarchali speciale Officium, ab illo Officio distinctum quod administrationem bonorum eparchiae Patriarchae propriae curat, constituendum est, constans oeconomo, ratiocinatore et aliis necessariis ministris.

§ 2. 1° Oeconomus patriarchalis Officio administrationis immediate praeest et bona Ecclesiae patriarchalis ad normam canonum administrat;

2° oeconomi patriarchalis munus clerico fidei, diligenti, probatae vitae atque in administrandis bonis temporalibus experto committatur; iis autem qui cum Patriarcha consanguinitate vel affinitate usque ad quartum gradum inclusive coniuncti sint valide conferri non potest;

3° idem de consensu Synodi permanentis nominatur vel amovetur a Patriarcha, a quo pendet in munere exercendo;

4° munus oeconomi patriarchalis cumulari potest, de consensu Synodi permanentis, cum munere oeconomi eparchiae Patriarchae propriae.

§ 3. Oeconomus patriarchalis rationem administrationis Synodo permanenti quotannis et quoties ab ipsa petitur in scriptis reddere debet; Synodus autem per duos saltem Episcopos eiusdem Synodi sodales, rationes ab oeconomo exhibitas examinat, arcam recognoscit, convenientes inspectiones bonorum, documentorum, nominum, inopinato etiam, exsequitur seu exsequendas iubet, et diligenter conservationi, tutelae, incremento patrimonii patriarchalis providet.

§ 4. Integrum est Synodo Episcoporum, si maior pars sodalium id expresse petiverit, rationem administrationis exquirere et proprio examini subicere.

Can. 94 (CS 300, 301 et 304)

§ 1. In curia patriarchali constituatur a Patriarcha, audita Synodo permanenti, presbyter vel diaconus omni exceptione maior, qui utpote patriarchalis cancellarius, cancellariae et archivo patriarchalibus praeest, a vices gerente, si casus fert, a Patriarcha nominato, adiutus.

(11) Agitur de canone 19 Motu proprio « Sollicitudinem Nostram », utpote recognito in schemate « De processibus »; cf. *Nuntia* 14, p. 21, can. 9.

§ 2. Praeter cancellarium eiusque vices gerentem, qui ex munere suo notarii sunt, Patriarcha alios quoque notarios pro tota sua Ecclesia constituere valet, quibus omnibus canones 225-227 applicentur.

§ 3. Archivum patriarchale regatur normis in canonibus 228-233 praescriptis.

Can. 95 (CS 302 et 303)

§ 1. Constituenda est a Patriarcha Commissio de re liturgica ad recognoscendos et imprimendos libros liturgicos et ad ea pettractanda quae Liturgiam spectant.

§ 2. Commissiones vel Consilia de quibus in canonibus NN (12) a Patriarcha, audita Synodo permanenti, constituuntur, atque normis ab ipso Patriarcha statutis reguntur, nisi aliter iure communi vel particulari expresse caveatur.

§ 3. Omnes personas ad Commissiones de quibus in §§ 1 et 2 pertinentes, Patriarcha, audita Synodo permanenti, ex Episcopis, sed etiam ex clericis et laicis doctrina et prudentia insignibus, nominat; eodem modo nominantur consultores patriarchales ad enodandas quaestiones ipsis a Patriarcha commissas.

Can. 96 (CS 305)

Expensae curiae patriarchalis exsolvantur ex bonis quibus uti ad hunc finem potest Patriarcha; si haec non sufficiant, singulae eparchiae, pro mensura a Synodo Episcoporum definienda, ad illa praestanda concurrant.

Caput V

DE SEDE PATRIARCHALI VACANTE VEL IMPEDITA

Can. 97 (CS 306)

Sedes patriarchalis vacat morte Patriarchae; expressa renuntiatione a Romano Pontifice acceptata et Patriarchae significata; amotione vel privatione a Romano Pontifice ipsi intimata.

Can. 98 (CS 307)

Nisi ius particulare aliud ferat, vacante sede, Administrator Ecclesiae patriarchalis est antiquior episcopali ordinatione inter Episcopos Patriarchae

(12) Plures canones hic indicandi sunt, exempli gratia illi de commissione de re liturgica, catechetica, ecumenica, missionali etc.

auxiliares de quibus in canone 55 vel, in eorum absentia, inter Episcopos sodales Synodi permanentis.

Can. 99 (CS 308)

Administratoris Ecclesiae patriarchalis est:

1° vacationis nuncium statim Romano Pontifici omnibusque ac singulis suae Ecclesiae Episcopis, etiam titularibus, ceterisque locorum Hierarchis, exceptis Protosyncellis et Syncellis, communicare;

2° peculiare normae quas, pro diversis adiunctis in quibus vacatio locum habuit, ius commune vel particulare, aut Romani Pontificis si qua detur instructio praescribit, accurate exsequi seu ab aliis exsequendas curare;

3° Episcopos ad Synodum de Patriarchae electione convocare ac cetera omnia, ad eundem Synodum necessaria, diligenter ac fideliter disponere.

Can. 100 (CS 309)

Administrator Ecclesiae patriarchalis in eparchia Patriarchae propria et in aliis locis territorii Ecclesiae patriarchalis, ubi eparchiae vel exarchiae constitutae non sunt, iisdem iuribus gaudet et officiis tenetur quibus Administrator eparchiae vacantis.

Can. 101 (CS 310, 311 et 312)

§ 1. Ad Administratorem Ecclesiae patriarchalis transit ordinaria potestas iis omnibus exclusis quae agi non possunt nisi consentientibus vel auditis sodalibus Synodi Episcoporum.

§ 2. Administrator patriarchalis non potest Patriarchae Protosyncellos vel Syncellos valide ab officio amovere vel alio transferre nec, sede vacante, quidquam innovare potest.

§ 3. Etsi privilegiis Patriarchae caret, Administrator praecedit omnibus Episcopis aliisque Hierarchis suae Ecclesiae, non autem in ipsa Synodo de electione Patriarchae.

Can. 102 (CS 313)

Administrator Ecclesiae patriarchalis rationem ipsius administrationis novo Patriarchae quamprimum reddere debet.

Can. 103 (CS 314)

§ 1. Sede patriarchali quacumque de causa ita impedita ut ne per litteras quidem cum Episcopis clericis et fidelibus propriae Ecclesiae Patriarcha communicare possit, regimen universae Ecclesiae patriarchalis est. ad normam canonis 101, penes Episcopum residentialem territorii eiusdem Ec-

clesiae ordine praecedentiae primum, nisi Patriarcha alium Episcopum vel, in casu extremae necessitatis, etiam Presbyterum, designaverit.

§ 3. Ad eparchiae Patriarchae propriae regimen quod attinet servetur praescriptum canonis 204.

§ 2. Qui regimen suscepit, Romanum Pontificem quamprimum moneat de sede impedita et de assumpto regimine.

Caput VI

DE METROPOLITIS ECCLESIAE PATRIARCHALIS

Can. 104 (CS 316)

Restitutio sedium metropolitanarum in Ecclesiis patriarchalibus fit ad normam canonis 53, § 1.

Can. 105 (CS 319)

Metropolitae qui alicui provinciae Ecclesiae patriarchalis praeest, in suae provinciae eparchiis, praeter alia quae iure communi ei tribuuntur, est:

1° Episcopos suae provinciae intra tempus in canone 156 determinatum ordinare, eosque inthronizare firmo can. 54, § 1, n. 1;

2° Synodos metropolitanas, temporibus a Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis statutis, convocare, quaestiones in ipsis tractandas oportune instruere, Synodo praeesse, eam transferre vel absolvere;

3° vigilare ut fides et disciplina ecclesiastica accurate serventur, ac de abusibus certiore facere Patriarcham;

4° canonicam visitationem peragere, causa prius a Patriarcha probata, si eam Hierarcha neglexerit;

5° eos qui ad normam iuris ad officia ecclesiastica praesentantur aut eliguntur instituere aut confirmare, si Episcopus comprovincialis intra tempus iure statutum, iusto impedimento non detentus, id facere omiserit, itemque oeconomum eparchiae comprovincialis nominare, si huius Hierarcha, monitus, eum nominare neglexerit.

Can. 106 (CS 317)

Metropolita cummemorandus est ab Hierarchis suae provinciae in divina Liturgia ceterisque divinis officiis ad normam legum liturgicarum.

Can. 107 (CS 318)

§ 1. Metropolitae dignitas semper coniuncta est cum sede episcopali determinata.

§ 2. Metropolita in propria eparchia eadem officia eademque iura habet quae Episcopus in sua.

Can. 108 (CS 339 § 1)

Metropolita qui praeest provinciae praecedit ubicumque Metropolitae honoris causa.

Can. 109 (CS 242)

Ad Patriarcham spectat:

1° Metropolitanorum iura exercere et officia implere in omnibus locis territorii Ecclesiae cui praeest in quibus provinciae erectae non sunt;

2° devolutivo iure negligentiam Metropolitanorum ad normam iuris supplere;

3° vacante sede metropolitana, Metropolitae iura exercere et officia implere in universa provincia;

4° Metropolitam qui oeconomum ad normam canonis 234 non constituerit monere; monitione incassum facta, oeconomum ipse Patriarcha nominet.

Can. 110

Synodi Episcoporum, imprimis in ipsa restitutione vel erectione sedium metropolitanarum, lege particulari, praescriptis iuris communis haud contraria, pressius definiant iura ac officia Metropolitanorum eorumque Synodorum iuxta traditiones proprii ritus necnon temporum et locorum adiuncta.

Can. 111

Metropolitae extra fines territorii Ecclesiae patriarchalis constituto, sed eidem Ecclesiae ad normam iuris aggregato, iura et obligationes ea sunt quae in nn. 1, 3-8 canonis 132 necnon canonibus 133, 134 et 135 praescribuntur; ad cetera iura et obligationes quod spectat, Metropolita huiusmodi normis specialibus regitur a Synodo Episcoporum propriae Ecclesiae propositis et a Sede Apostolica adprobatis vel ab ipsa hac Sede statutis.

Caput VII

DE CONVENTU PATRIARCHALI

Can. 112

Conventus patriarchalis est collegium consultivum totius Ecclesiae cui Patriarcha praeest, quod Patriarchae atque Synodo Episcoporum eiusdem Ecclesiae adiutricem operam praestat in negotiis maioris momenti gerendis,

praesertim ad apostolatus formas ac rationes necnon disciplinam ecclesiasticam cum occurrentibus aetatis adiunctis atque bono communi propriae Ecclesiae, ratione etiam habita boni communis totius territorii ubi plures Ecclesiae diversorum rituum extant, apte componendas.

Can. 113

Conventus patriarchalis celebratur quinto saltem quoque anno et quoties id Patriarchae cum Synodo permanenti aut Synodo Episcoporum necessarium vel utile videtur.

Can. 114

Patriarchae est Conventum patriarchale convocare, eidem praeesse atque eum absolvere; Vice-Praesidem, qui in absentia Patriarchae Conventui praeesst, ipse Patriarcha designat.

Can. 115

§ 1. Ad Conventum patriarchale convocandi sunt:

1° Episcopi residentiales ceterique loci Hierarchae, etiam extra fines territorii Ecclesiae patriarchalis constituti;

2° Episcopi titulares;

3° Praesides Confoederationum Monasticarum, Superiores Generales Institutorum vitae consecratae atque Superiores Monasteriorum sui iuris qui stauropegii vel exemptionis Pontificiae privilegio gaudent;

4° Rectores Universitatum Catholicarum, Decani Facultatum theologiae vel iuris canonici, quae in territorio Ecclesiae cuius Conventus celebratur sedem habent;

5° Rectores Seminariorum Maiorum;

6° Ex unaquaque eparchia saltem unus presbyter ex eparchialibus praesertim parochis, unus delegatus ex monachis vel ceteris sodalibus Institutorum vitae consecratae, necnon duo laici sive ex viris sive ex mulieribus, nisi ius particulare maiorem numerum statuatur, qui omnes a Conventu eparchiali eliguntur.

§ 2. Omnes qui ad Conventum patriarchalem convocandi sunt, eidem interesse debent, nisi iusto detineantur impedimento, de quo Patriarcham certiore facere tenentur; ii vero de quibus in § 1, n. 1 procuratorem sui loco mittere possunt.

§ 3. Personae alterius ritus ad Conventum patriarchalem convocari et in eo partem habere possunt, ad normam iuris particularis.

Can. 116

§ 1. Firmo iure cuiuslibet christifidelis quaestiones Hierarchis indicandi, unice Patriarchae vel Synodi Episcoporum est argumenta in Conventu patriarchali pertractanda statuere.

§ 2. Patriarchae est, per opportunas praevias Commissiones et consultationes, curare ut omnes quaestiones apte instruantur, atque opportuno tempore ad Conventus sodales transmittantur.

Can. 117

Conventus patriarchalis sua habeat statuta, a Synodo Episcoporum approbata, in quibus normae, ad finem Conventus obtinendum necessariae contineantur, firmis canonibus iuris communis.

Caput VIII

DE TERRITORIIS ECCLESiarUM PATRIARCHALIUM ATQUE DE POTESTATE
PATRIARCHARUM EORUMQUE SYNODORUM EXTRA HAEC TERRITORIA

Can. 118

§ 1. Territorium Ecclesiae cui Patriarcha praest ad illas regiones orientales extenditur in quibus orientalis ritus ab antiqua aetate servatur et Patriarcha iure legitime acquisito gaudet provincias, eparchias necnon exarchias erigendi.

§ 2. Si quod dubium de limitibus territorii Ecclesiae patriarchalis exoritur aut si de immutationibus limitum agatur, Synodi Episcoporum est rem diligenter investigare, auditis Hierarchis ceterarum Ecclesiarum quorum interest, necnon, re in Synodo Episcoporum excussa, petitionem apte instructam de dubio solvendo vel de limitibus immutandis ad Sedem Apostolicam porrigere cui soli est dubium authentice dirimere vel decretum de limitum immutatione ferre.

Can. 119

Intra limites territorii Ecclesiae patriarchalis, potestas Patriarchae ac Synodorum eiusdem Ecclesiae, iure communi vel particulari definita, exercetur non tantum in omnes christifideles eidem Ecclesiae adscriptos, sed etiam in ceteros qui Hierarcham Ecclesiae proprii ritus in eodem territorio constitutum non habent qui, etsi propriae Ecclesiae permanent adscripti, curae Hierarcharum loci ac parochorum eiusdem Ecclesiae patriarchalis committuntur, firmo canone 120.

Can. 120 (CS 22)

§ 1. Christifideles orientales extra fines patriarchalis Ecclesiae commorantes, deficiente proprii ritus Hierarcha, curae Hierarchae loci committuntur; quodsi plures sint diversi ritus Hierarchae in eodem loco, ille habent

dus est tamquam proprius quem Patriarcha, de assensu Sedis Apostolicae, aut ipsa Sedes Apostolica designaverit (13).

§ 2. Hierarchae de quibus in § 1 gravi obligatione tenentur omnia providendi ut christifideles orientales propriae Ecclesiae ritum ubique retineant, eumque colant ac pro viribus observent et cum Patriarcha, patre et capite eorundem Ecclesiae, relationes foveant.

Can. 121

Sedis Apostolicae est sedulo invigilare de adimplerione obligationum de quibus in canone 120 etiam per Visitatores, nucleis nondum ordinatis christifidelium orientalium extra limites territorii Ecclesiae patriarchalis commorantium eorumque spiritualibus necessitatibus consulere, per constitutionem quoque propriae hierarchiae, si numerus fidelium et adiuncta id exigant, praesertim si id a Patriarcha ad normam canonis 122 proponatur.

Can. 122

§ 1. Patriarchae, patri et capiti Ecclesiae cui fideles proprii ritus, ubicumque commorantes, semper adscripti manent, ius et officium est de hisce fidelibus opportunas informationes, etiam per Visitatorem a se missum de consensu Sedis Apostolicae, exquirendi.

§ 2. Visitator, antequam munus suum ineat, horum fidelium Hierarcham adeat, eique nominationis litteras exhibeat.

§ 3. Visitatione peracta, Visitator ad Patriarcham relationem mittat, qui, re in Synodo Episcoporum adprobata, Sedi Apostolicae opportuna media proponere potest, ut ubique terrarum tuitioni atque incremento boni spiritualis christifidelium sui ritus etiam per constitutionem paroeciarum ac hierarchiae propriae provideatur.

Can. 123

Hierarchae loci qui laudabiliter, ad ea de quibus in canone 120 § 2 assequenda, presbyteros designant qui curam fidelium orientalium in propria eparchia suscipiant vel paroecias fideles ritus orientalis complectentes erigunt et parochis orientalis ritus committunt aut etiam Syncellum pro negotiis christifidelium orientalium constituunt, opportunas cum Patriarchis orientalibus quorum interest ineant rationes et, ipsis consentientibus, propria

(13) In denua recognitione schematis «De normis generalibus» propositum est ut § 1 huius canonis, in textu qui sequitur, in illud schema transferatur:

«In locis in quibus nec exarchia pro christifidelibus alicuius Ecclesiae adscriptis erecta est tamquam proprius eorundem christifidelium Hierarcha, habendus est Hierarcha loci. Quodsi plures sint, ille habendus est tamquam proprius quem designaverit Sedes Apostolica vel, si de Ecclesiis patriarchalibus agatur, Patriarcha de assensu Sedis Apostolicae». Cf. *Nuntia* 18, pag. 11, can. 6 § 5.

auctoritate agant, certiore quamprimum facta Sede Apostolica; ipsis vero quacumque de causa dissentientibus res ad Sedem Apostolicam deferatur.

Can. 124 (CS 366 § 2)

Candidatos, saltem tres, ad officium Hierarchae proprii ritus pro christifidelibus extra territoria propriae Ecclesiae commorantibus Synodus Episcoporum eiusdem Ecclesiae ad normam canonum de electionibus Episcoporum eligit et per Patriarcham Romano Pontifici ad nominationem praesentat, strictissimo secreto ab omnibus sodalibus Synodi servato usquedum de nominatione nuntium ad Patriarcham pervenerit.

Can. 125 (CS 369, 380)

§ 1. Ad Synodos Episcoporum Hierarchae orientales extra territoria Ecclesiae patriarchalis constituti convocandi sunt, cum omnibus iuribus et obligationibus synodalibus ceterorum Episcoporum eiusdem Ecclesiae, nisi ius particulare eorundem iura, votum deliberativum praesertim quod spectat, coarctet, firmis canonibus de electione Patriarcharum et Episcoporum.

§ 2. Leges a Synodo Episcoporum latae et a Patriarcha promulgatae si liturgicae sint ubicumque terrarum vigent, si vero disciplinares vel si de ceteris decisionibus Synodi agatur vim iuris habent in territorio Ecclesiae patriarchalis.

§ 3. Leges disciplinares necnon ceterae Synodi decisiones extra territoria Ecclesiae patriarchalis vim iuris habent postquam a Sede Apostolica adprobatae fuerint, firmo iure Hierarcharum orientalium legibus vel decisionibus synodalibus, quae eorum competentiam non excedunt, in propriis eparchiis vim iuris tribuendi.

Can. 126

Quoties ius consensum vel consilium Synodi Episcoporum exigit ut Patriarcha certos actus administrativos valide ponat, requiritur et sufficit suffragium Synodi sodalium qui ad territorium Ecclesiae patriarchalis pertinent; Patriarcha tamen vota consultiva ceterorum Episcoporum modo opportuno exquirere potest.

TITULUS IV

DE ECCLESIIS ARCHIEPISCOPALIBUS MAIORIBUS

Can. 127 (CS 315)

Archiepiscopus Maior est Metropolita Sedis determinatae vel agnitae a Suprema Ecclesiae Auctoritate, qui universae cuidam Ecclesiae Orientali sui iuris, titulo patriarchali non insignitae, ad normam canonis 128, praeest.

Can. 128

§ 1. Quae de Patriarchis in titulo praecedenti dicuntur, valent etiam, servatis servandis et exceptis canonibus 27, 28, 29, 46 necnon § 2 canonis 45, de Archiepiscopis Maioribus quoad Episcopos, haud exceptis Metropolitibus, clerum et populum Ecclesiarum quibus praesunt.

§ 2. Quae in iure Ecclesiarum Orientalium communi de Patriarchis dicuntur pro Archiepiscopis Maioribus valere intelliguntur, nisi aliud expresse caveatur.

Can. 129 (CS 325)

§ 1. Archiepiscopus Maior ad normam canonum 31-45 § 1 eligitur, sed post electionem, praeter ea de quibus canon 45 § 1, ipse per litteras propria manu subscriptas expostulare debet a Romano Pontifice suae electionis confirmationem.

§ 2. Obtenta confirmatione a Romano Pontifice procedatur ad Archiepiscopi Maioris proclamationem et inthronizationem; si vero confirmatio denegetur ad novam electionem, intra tempus ab ipso Romano Pontifice statutum, procedendum est.

§ 3. Archiepiscopus Maior tantummodo ab inthronizatione valide exercet suum officium.

Can. 130

Honoris praecedentiam, immediate post Patriarchas, Archiepiscopi Maiores obtinent, servato inter eos ordine antiquitatis erectionis Ecclesiae cui praesunt in Ecclesiam archiepiscopalem maiorem.

TITULUS V

DE ECCLESIIS METROPOLITANIS SUI IURIS

Can. 131

§ 1. In canonibus huius sectionis de iis tantummodo Metropolitibus agitur qui ecclesiasticis provinciis, immediate nonnisi auctoritati Romani Pontificis subiectis praeficiuntur et nulli Ecclesiae patriarchali vel archiepiscopali maiori ad normam iuris aggregati sunt.

§ 2. Unius supremae Ecclesiae Auctoritatis est provincias de quibus in § 1 constituere, suppressere aut innovare.

Can. 132 (CS 320)

In sua provincia, praeter alia quae iure communi vel alio modo ab Apostolica Sede statuto ei tribuuntur, Metropolitanae competit:

1° Episcopos suae provinciae intra tempus iure determinatum ordinare, eosque inthronizare;

2° Consilium Hierarcharum de quo in canone 137 ad normam iuris convocare, quaestiones in ipso tractandas opportune instruere, Consilio praeesse, eum transferre vel absolvere;

3° vigilare ut fides ac disciplina ecclesiastica accurate serventur et de abusibus Romanum Pontificem certiores facere;

4° canonicam visitationem in eparchiis peragere; causa prius ab Apostolica Sede probata, si eam Hierarcha comprovincialis neglexerit;

5° certiores facere Sedem Apostolicam de sedis eparchialis vacatione ac deputare Administratorem eparchiae vacantis;

6° Tribunal metropolitanum instituere;

7° eos qui ad normam iuris ad officia ecclesiastica praesentantur aut eliguntur instituere aut confirmare, si Episcopus comprovincialis intra tempus iure statutum, iusto impedimento non detentus, id facere omiserit, itemque oeconomum eparchiae comprovincialis nominare, si huius Hierarcha, monitus, eum nominare neglexerit;

8° Summi Pontificis acta Episcopis aliisque ad quos pertinet communicare, nisi Sedes Apostolica directe providerit, et praescriptorum quae in his actis continentur fidelem executionem curare.

Can. 133 (CS 320 § 2 n. 2; CS 259 § 3)

In negotiis extraordinariis vel peculiarem difficultatem praeseferentibus, tum Episcopi comprovinciales sententiam exquirere Metropolitanae, tum Metropolita eosdem Episcopos audire, ne omittant.

Can. 134 (CS 317)

Metropolita commemorandus est ab Hierarchis suae provinciae in divina Liturgia ceterisque divinis officiis ad normam legum liturgicarum.

Can. 135 (CS 315, 318)

§ 1. Metropolitanae dignitas semper coniuncta est cum sede episcopali determinata.

§ 2. Metropolita in propria eparchia eadem officia eademque iura habet quae Episcopus in sua.

Can. 136 (CS 321)

§ 1. Intra tres menses ab episcopali ordinatione vel, si iam ordinatus fuerit, ab inthronizatione, Metropolita obligatione tenetur a Romano Pontifice pallium, quod est signum potestatis metropolitanae, petendi.

§ 2. Ante pallii impositionem Metropolita nequit Consilium Hierarcharum convocare et Episcopos ordinare.

§ 3. Metropolita uti potest pallio in sua provincia ubique, nullatenus vero extra provinciam.

Can. 137 (Ch. D. 38)

§ 1. Ad Consilium Hierarcharum, quod in omni Ecclesia metropolitana sui iuris institui debet, ipso iure pertinent et in eo voto deliberativo gaudent omnes et soli Ecclesiae metropolitanae locorum Hierarchae, Protosyncellis et Syncellis exceptis, munere sibi ab Apostolica Sede vel ab ipso Consilio Hierarcharum demandato in territorio eiusdem Ecclesiae fungentes; ceteri Episcopi eiusdem vel etiam diversi ritus nonnisi ut hospites invitari valent si maiori parti Consilii sodalium id placuerit.

§ 2. Omnes Consilii sodales gravi obligatione tenentur ut intersint Consilio Hierarcharum; si iusto existiment se detineri impedimento scripto suas rationes aperiant Consilio cuius iudicio stare debent, omni specie procurationis vel iuris duplici suffragii exclusis.

§ 3. Consilio Hierarcharum inchoato, nemini eorum qui interesse debent licet discedere nisi iustam ob causam, a Consilii Praeside probatam.

Can. 138 (CS 346)

§ 1. Ad validitatem singularum sessionum Consilii Hierarcharum atque singulorum scrutinorum necesse est ut adsit maior pars sodalium.

§ 2. Consilium Hierarcharum negotia decedit ad maiorem partem suffragiorum.

Can. 139

§ 1. Consilii Hierarcharum est leges ac normas ferre pro tota Ecclesia metropolitana iis in casibus in quibus ius commune statuat rem commissam esse sive Superiori Auctoritati cuiusque Ecclesiae sui iuris sive iuri particulari, nisi hoc ultimo in casu expressa fit mentio de Synodo Episcoporum aliaque determinata auctoritate.

§ 2. Si vero de decretis administrativis agatur, quibus negotia dirimuntur ex iure communi Auctoritati Superiori cuiusvis Ecclesiae sui iuris commissa, Metropolitanae est ea ferre, obtento consensu Consilii Hierarcharum, nisi expresse aliud dicatur.

§ 2. Ad Episcoporum nominationes quod attinet, Consilium Hierarcharum pro unoquoque casu elenchum componat trium saltem candidatorum magis idoneorum, illumque Sedi Apostolicae transmittat; quem elenchum ut componant, sodales Consilii Hierarcharum, si id expedire iudicent, de necessitatibus Ecclesiae deque dotibus specialibus personae ad officium episcopale

implendum requisitis, certorum presbyterorum, diaconorum et laicorum sapientia praestantium secreto sententiam exquirere possunt.

§ 4. De iis quae acta sunt ad normam § 1 Metropolita Sedem Apostolicam quamprimum certiore faciat, nec leges ac normae promulgari valide possunt antequam a Sede Apostolica scriptum nuntium de Consilii actorum receptione a Metropolita recipiatur; etiam de ceteris in Consilio Hierarcharum gestis Metropolita Sedem Apostolicam certiore faciat.

Can. 140 (CS 349)

§ 1. Consilium Hierarcharum pro territorio suae Ecclesiae metropolitanae curat ut necessitatibus pastoralibus christifidelium provideatur atque de iis valet decernere quae ad fidei incrementum, ad actionem pastorem communem ordinandam et ad moderandos mores, patrimonium proprii ritus necnon disciplinam ecclesiasticam communem servandos ac tuendos opportuna videantur.

§ 2. Decisiones Consilii Hierarcharum de iis de quibus in § 1 canonice obligant in universo territorio Ecclesiae metropolitanae tantummodo si a Sede Apostolica adprobatae fuerint.

Can. 141

Consilium Hierarcharum celebretur semel saltem in anno et praeterea quoties id postulant peculiaria adiuncta, necessitas dirimendi negotia a iure communi hoc Consilio reservata vel actus Metropolitae pro quibus ius requirit ut audiat vel consentiat idem Consilium.

Can. 142

Unumquodque Consilium Hierarcharum sua conficiat statuta, Sedi Apostolicae transmittenda, in quibus, servatis canonibus iuris communis, normae provideantur de secretaria Consilii, commissionibus praeparatoriis, de ordine procedendi necnon alia media quae fini consequendo efficacius consulant.

Can. 143

§ 1. In unaquaque Ecclesia Metropolitana sui iuris Conventus ad normam canonum 112-117, constituatur et quinto saltem anno convocetur.

§ 2. Quae in canonibus 112-117 de Patriarchis dicuntur in Praesidem Consilii Hierarcharum devolvuntur.

*De designatione Metropolitae ab Hierarchis
locorum qui nulli Patriarchae vel Metropolitae subiciuntur*

Can. 144 (CS 323)

Hierarchae locorum qui nulli Patriarchae, Archiepiscopo vel Metropolitae subiciuntur, aliquem Metropolitam, praevia Sedis Apostolicae approbatione, designent, cui stabiliter iura et obligationes competunt quae in nn. 3-7 canonis 132 vel alibi in iure communi statuuntur.

TITULUS VI
DE EPARCHIIS ET EPISCOPIS

Caput I
DE EPISCOPIS

Can. 145 (Ch. D. 14)

§ 1. Eparchia est populi Dei portio, quae Episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda conceditur, ita ut, pastori suo adhaerens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata, Ecclesiam singularem constituat, in qua vere inest et operatur Una Sancta Catholica et Apostolica Ecclesia.

§ 2. In constitutione, immutatione, suppressione eparchiarum intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis servandus est canon 53 § 1; in ceteris casibus eparchiarum constitutio, immutatio et suppressio competit uni Sedi Apostolicae.

Can. 146 (LG 27)

Episcopus cui eparchia legitime conceditur, eam regit ut Vicarius et legatus Christi; potestas qua ipse nomine Christi personaliter fungitur, est propria, ordinaria et immediata, licet a Suprema Ecclesiae Auctoritate exercitium eiusdem ultimatim regatur et certis limitibus intuitu utilitatis Ecclesiae vel christifidelium circumscribi possit.

Can. 147

§ 1. Episcopi quibus eparchia, firmo § 2, concedita non est, sed qui officium coadiutoris vel auxiliaris in certa eparchia explent aut alia munia in Ecclesia legitime exercent, *titulares* vocantur et potestatem exercent prouti iure communi vel particulari pro singulis eorum officiis determinatur.

§ 2. Si Episcopo titulari eparchia committitur eam regit iure non proprio, sed nomine illius qui eparchiam ipsi legitime committit.

Articulus I
De electione Episcoporum

Can. 148 (CS 394)

Ut quis idoneus ad officium Episcopi habeatur, requiritur ut sit:

- 1° bona existimatione gaudens;
- 2° vinculo matrimonii non ligatus;
- 3° annos natus saltem triginta quinque;
- 4° a quinquennio saltem in presbyteratus ordine constitutus;
- 5° firma fide, bonis moribus, pietate, animarum zelo, prudentia ceterisque dotibus praeditus quae ipsum aptum efficiunt ad officium de quo agitur explendum;
- 6° laurea doctorali vel saltem licentia in aliqua sacra scientia potitus in Instituto Studiorum a competenti auctoritate ecclesiastica probato, vel saltem in iisdem disciplinis vere peritus.

Can. 149 (CS 251)

In Ecclesiis patriarchalibus et archiepiscopalibus maioribus Episcopi, intra fines territorii earundem Ecclesiarum, ad eparchias vacantes vel alia officia exercenda designantur electione canonica ad normam canonum NN(14) « De electionibus », nisi aliud in canonibus qui sequuntur statutum sit; ceteri vero Episcopi ritus orientalis a Romano Pontifice nominantur, firmo canone 124.

Can. 150 (CS 254 e 252)

§ 1. Candidatos ad episcopale officium idoneos soli Synodi Episcoporum sodales proponere possunt, quibus est etiam, ad normam iuris particularis, informationes et documenta, quae necessaria sunt ut candidatorum idoneitas rite comprobetur, colligere, auditis, si opportunum id ducant, secreto et singillatim, aliquibus presbyteris vel etiam laicis prudentia et christiana vita praestantibus.

§ 2. De informationibus Episcopi Patriarcham opportuno tempore ante Synodi convocationem certiore reddant; Patriarcha vero propriis si casus ferat additis informationibus, rem ad omnes Synodi sodales transmittat.

§ 3. Synodus Episcoporum rite coadunata nomina candidatorum examinet et secreto scrutinio per partem suffragiorum absolute maiorem elenchum componat, quod per Patriarcham ad Sedem Apostolicam transmittatur ad assensum Romani Pontificis obtinendum.

(14) Sermo est de canonibus 103-104 Motu proprio « Cleri sanctitati » in schemate « De normis generalibus... » recognitis; cf. *Nuntia* 18, pp. 30-38.

§ 4. Assensus Romani Pontificis semel praestitus pro singulis candidatis valet donec explicite revocetur, quo in casu nomen candidati ex elencho expungendum est.

Can. 151 (CS 252 § 2 n. 2)

§ 1. Episcopi in Synodo congregati, quem prae ceteris dignum et idoneum coram Domino censeant, libere eligant.

§ 2. Synodus electionis Episcoporum canonica est ad normam canonis 36; ad validam vero electionem candidatorum requiritur pars absolute maior sodalium in Synodo praesentium, demptis suffragiis nullis.

§ 3. Post tria inefficacia scrutinia suffragia feruntur in quarto scrutinio super iis duobus tantummodo candidatis qui in tertio scrutinio maiorem partem suffragiorum receperunt.

§ 4. Si in tertio aut quarto scrutinio ob paritatem votorum non constet quis candidatus pro novo scrutinio vel quis electus sit, paritas dirimatur in favorem eius qui est antiquior presbyterali ordinatione; si nemo ordinatione presbyterali aliis praecedit, qui est senior aetate.

Can. 152 (CS 254 § 2)

§ 1. Si legitime a Synodo electus sit ex recensitis in elencho ad quem Romanus Pontifex assensum iam praestiterit, peracta electio a Patriarcha sub secreto intimanda est electo.

§ 2. Postquam electus intra tempus utile electionem acceptaverit Patriarcha de acceptance electionis atque de die episcopalis proclamationis statim Sedem Apostolicam certiore faciat.

Can. 153 (CS 253)

§ 1. Si legitime electus non sit ex recensitis in elencho, statim Patriarcha Sedem Apostolicam de peracta electione certiore faciat ad obtinendum Romani Pontificis assensum, servato ab omnibus qui quomodolibet electionis exitum noverint secreto, etiam erga ipsum electum, usquedum de assensu nuntium ad Patriarcham pervenerit.

§ 2. Obtento assensu Romani Pontificis Patriarcha sub secreto electionem intimet electo et ad normam § 2 canonis praecedentis agat.

Can. 154 (CS 255)

§ 1. Quoties Synodus ad normam canonis 149 congregari non potest, Patriarcha, consulta Sede Apostolica, suffragia Episcoporum per litteras exquirat; quo in casu Patriarcha ad validitatem actus, uti debet opera duorum Episcoporum scrutatorum, qui designandi sunt ad normam iuris particularis vel, eo deficiente, a Patriarcha de consensu Synodi permanentis. Scrutatores,

secreto stricte servato, litteras Episcoporum aperiant, suffragia numerent et relationem scriptam de peracto scrutinio una cum Patriarcha subsignent.

§ 2. Si quis ex candidatis in hoc unico scrutinio maiorem partem suffragiorum Synodi sodalium obtinuerit, electus habeatur, et Patriarcha ad normam canonis 152 vel 153 procedat, secus Patriarcha rem ad Sedem Apostolicam transmittat.

Can. 155 (CS 395 et 260 § 1 n. 2)

§ 1. Cuilibet ad episcopatum promotus necessaria est canonica provisiō qua Episcopus vacantis eparchiae constituitur vel determinatum munus ipsi in Ecclesia committitur.

§ 2. Candidatus ante canonicam provisionem, praeter fidei professionem, promissionem oboedientiae erga Romanum Pontificem et, si munus in territorio Ecclesiae patriarchalis obtineat vel eidem Ecclesiae aggregatus sit, promissionem oboedientiae erga Patriarcham in iis in quibus Patriarchae ad normam iuris subicitur, edat.

Can. 156 (CS 396)

§ 1. Nisi legitimo impedimento prohibeatur promotus ad episcopatum debet intra tres menses a die proclamationis, si de electo agatur, vel a receptis Apostolicis Litteris si de nominato, ordinationem episcopalem recipere.

§ 2. Episcopus eparchialis intra quattuor menses ab electione vel nominatione episcopali debet ad suam eparchiam pergere.

Can. 157 (CS 397)

§ 1. Canonicam eparchiae possessionem capit Episcopus ipsa inthronizatione legitime peracta in qua coram clero et populo Litterae Apostolicae vel patriarchales de canonica provisione leguntur.

§ 2. De peracta inthronizatione instrumentum conficiatur ab ipso Episcopo eparchiali una cum cancellario curiae et saltem duobus testibus subsignandum et in archivio curiae servandum.

§ 3. Ante inthronizationem Episcopus in regimen eparchiae neque per se neque per alios, nec ullo titulo sese ingerat; sed si aliquod officium in eparchia vacante habuit illud retinere et exercere potest.

Articulus II

De iuribus et obligationibus Episcoporum eparchialium

Can. 158 (CS 398, PA 260)

Episcopus iuridicam personam sustinet eparchiae et mensae domusve episcopalis in omnibus negotiis iuridicis ad ipsas spectantibus, ad normam canonum.

Can. 159 (CS 399)

§ 1. Episcopo eparchiali officium est et ius regendi eparchiam sibi commissam tum in spiritualibus tum in temporalibus, ad normam iuris.

§ 2. Ipsi omnis competit quae ad regimen eparchiae exercendum requiritur potestas, legislativa, executiva et iudicialis, iis exceptis in causis quae ad normam iuris Auctoritati Ecclesiae Supremae vel aliis ab eadem Suprema Auctoritate reservantur.

Can. 160 (OE 24 § 2; Ch. D. 16)

§ 1. In exercendo suo munere pastoris, Episcopus sollicitum se praebeat erga omnes christifideles qui suae curae committuntur, cuiusvis sint aetatis, conditionis, nationis vel ritus, tum in territorio eparchiae habitantes tum in eodem ad tempus versantes, animum intendens apostolicum ad eos qui ob vitae suae conditionem ordinaria cura pastoralis non satis frui valent necnon ad eos qui a religionis praxi defecerunt.

§ 2. Speciali modo curet Episcopus ut omnes christifideles suae curae commissi unitatem inter christianos foveant, iuxta principia ab Ecclesia approbata.

§ 3. Commendatos sibi in Domino habeat non baptizatos et curet ut et ipsis ex testimonio christifidelium in communione ecclesiastica viventium eluceat caritas Christi.

Can. 161 (Ch. D. 16 § 2; CS 41, 42)

§ 1. Peculiari sollicitudine prosequatur Episcopus presbyteros suos, ad quos audiendos pro viribus semper se paratum ostendat, eorum iura tutetur et curet ut ipsi obligationes suo statui proprias rite adimpleant atque ut ipsis praesto sint quibus ad vitam spiritualem et intellectualem fovendam egent media et institutiones; item ut eorundem honestae sustentationi atque adistentiae sociali prospiciatur.

§ 2. Hierarchae loci titulos praelatitios honoris causa clericis sibi subditis, ceteris exclusis, concedere possunt ad normas tamen a potestate legislativa uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris statutas.

Can. 162

Vocationes sacerdotales, diaconales, monachorum, ceterorumque sodalium Institutorum vitae consecratae ac missionales quam maxime Episcopus foveat.

Can. 163 (CS 400; Ch. D. 14, 15)

§ 1. Episcopus, quippe qui fidelium suae curae commissorum authenticus sit fidei doctor et magister, ipsis veritates fidei credendas et moribus

applicandas proponere et illustrare tenetur, per se ipse frequenter praedicans, utcumque doctrinam aliis quae praesto sunt mediis et instrumentis promovens; curet etiam ut praescripta canonum de ministerio verbi, de homilia praesertim et catechetica iuvenum institutione sedulo servantur, ita ut universa doctrina christiana omnibus tradatur.

§ 2. Cum omnium Ecclesiarum una cum ceteris Episcopis sit sponsor, adiutricem operam praestare tenetur ut verbum Dei omnibus gentibus nuntietur.

§ 3. Integritatem et unitatem fidei credendae aptioribus mediis firmiter tueatur.

Can. 164 (Ch. D. 15)

Episcopus omni ope promovere studeat sanctitatem christifidelium, secundum uniuscuiusque propriam vocationem atque, cum sit praecipuus mysteriorum Dei dispensator, iugiter adnitatur ut christifideles suae curae commissi sacramentorum receptione in gratia crescant utque praesertim paschale mysterium penitus cognoscant et vivant.

Can. 165 (CS 404; PA 307)

Divinam Liturgiam pro populo eparchiae sibi concredita Episcopus quam frequentius celebret; diebus vero a iure particulari praescriptis celebrare debet.

Can. 166 (CS 401; Ch. D. 15)

§ 1. Episcopus, utpote totius vitae liturgicae in eparchia sibi commissa moderator, promotor atque custos, invigilare debet ut illa quam maxime foveatur atque secundum praescripta necnon probatas consuetudines sui ritus ordinetur.

§ 2. Curare debet ut in propria cathedrali celebretur saltem pars Officii divini, etiam quotidie ubi usus ferat, iuxta legitimas cuiusque ritus consuetudines; item ut in qualibet paroecia pro viribus diebus dominicis et festis atque praecipuis sollemnitatibus earumque pervigiis Officia divina celebrentur.

§ 3. Episcopus ipse frequenter praesit Officiis divinis in ecclesia cathedrali aliave ecclesia, festis praesertim de praecepto aliisque sollemnitatibus in quibus partem habet notabilis populi pars.

Can. 167 (CS 402; PA 307)

Episcopus in tota eparchia, ne exemptis quidem locis exceptis, potest agere sacras functiones quae ad normam legum liturgicarum ab ipso omnibus insignibus pontificalibus induto sollemniter perfici debent, non vero extra propriam eparchiam sine expresso vel saltem rationabiliter praesumpto Hierarchy loci consensu.

Can. 168 (CS 400 § § 2 et 3)

§ 1. Ecclesiae universae unitatem cum tueri debeat, Episcopus disciplinam cunctae Ecclesiae communem promovere necnon observantiam omnium legum ecclesiasticarum atque legitimarum consuetudinum urgere tenetur.

§ 2. Advigilet ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, praesertim circa ministerium verbi, administrationem sacramentorum et sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum, executionem piarum voluntatum.

Can. 169 (OE 4)

Hierarchae variarum Ecclesiarum sui iuris in eodem territorio potestatem regiminis obtinentes, curent, collatis consiliis in periodicis conventibus, unitatem actionis fovere, et viribus unitis, communia adjuvare opera, ad bonum religionis expeditius promovendum et cleri disciplinam efficacius tuendam.

Can. 170 (Ch. D. 17; Ap. Actuos., Caput I)

§ 1. Varias apostolatus rationes in eparchia foveat Episcopus, atque curet ut, servatis quidem personarum physicarum et iuridicarum iuribus propriis, in universa eparchia, vel in eiusdem particularibus districtibus, omnia apostolatus opera suo moderamine coordinentur.

§ 2. Urgeat officium quo tenentur fideles ad apostolatum pro sua cuiusque condicione et aptitudine exercendum, atque ipsis commendet ut varia opera laicorum apostolatus, secundum necessitates loci et temporis, participant et iuvent.

Can. 171

Consociationes fidelium quae finem spiritualem directe aut indirecte persequuntur Episcopus promoveat, eas, ubi id expediat, erigendo, laudando vel commendando ad normam canonum « De consociationibus ».

Can. 172

Curet etiam Episcopus ut omnia incepta atque instituta catechetica, missionalia, caritativa, socialia, familiaria, scholastica atque quaelibet alia finem pastoralementem persequentia, servata quidem uniuscuiusque propria indole, ad concordem redigantur actionem.

Can. 173 (CS 403)

§ 1. Episcopus, etiamsi Coadiutorem aut Auxiliarem habeat, tenetur lege personalis in eparchia residentiae.

§ 2. Praeterquam causa obligationum quae legitime absentiam ex eparchia requirunt, Episcopus abesse potest aequa de causa non ultra mensem

intra annum, dummodo cautum sit ne ex ipsius absentia eparchia quidquam detrimenti capiat.

§ 3. Ab eparchia tamen Episcopus abesse non debet diebus praecipuarum sollemnitatum ad normas a iure particulari iuxta consuetudines cuiusque ritus statutas.

§ 4. Si Episcopus ultra sex menses ex eparchia illegitime abfuerit, Patriarcha ad normam canonis 63 agat; extra vero territoria Ecclesiae patriarchalis Sedes Apostolica certior reddatur a Metropolita, vel si ipse Metropolita illegitime abfuerit, ab antiquiore Episcopo comprovinciali.

Can. 174 (CS 409)

§ 1. Ad sanam et orthodoxam doctrinam servandam, bonos mores tuendos et pravos corrigendos, pacem, caritatem, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam, apostolatum fovendum, ceteraque pro ratione adiunctorum ab bonum religionis constituenda, tenetur Episcopus obligatione eparchiae vel ex toto vel ex parte quotannis visitandae, ita ut singulis saltem quinquenniis universam eparchiam, vel ipse per se, vel si legitime fuerit impeditus, per Episcopum Coadiutorem, aut per Auxiliarem, aut per aliquem presbyterum lustret.

§ 2. Si obligationi de qua in § 1 Episcopus graviter defuerit, servetur praescriptum canonis 173 § 4.

Can. 175 (CS 410)

§ 1. Ordinariae episcopali visitationi obnoxiae sunt personae, res ac loca pia, quamvis exempta, quae intra eparchiae ambitum continentur, nisi probari possit specialem a visitatione exemptionem fuisse ipsis ab Apostolica Sede concessam vel de stauropegii privilegio agatur.

§ 2. Monachos ceterosque sodales Institutorum vitae consecratae autem exemptos Episcopus visitare potest in casibus tantum in iure expressis.

Can. 176 (CS 405)

§ 1. Episcopus eparchialis in territorio suae Ecclesiae patriarchalis potestatem exercens tenetur singulis quinquenniis relationem Patriarchae facere super statu eparchiae sibi commissae iuxta modum a Synodo Episcoporum statutum; exemplar relationis Episcopus quamprimum ad Sedem Apostolicam transmittat.

§ 2. Episcopus eparchialis extra territoria suae Ecclesiae patriarchalis potestatem exercens singulis quinquenniis eandem relationem Sedi Apostolicae facere debet; Patriarchae vero exemplar relationis quamprimum transmittat.

Can. 177 (CS 406)

Episcopi cuiuscumque ritus Sedem Apostolicam edoceant, occasione relationis quinquennalis, de statu et necessitatibus coetuum fidelium diversi ritus in suo territorio commorantium et Hierarcha sui ritus carentium.

Can. 178 (CS 407, 408)

§ 1. Episcopi eparchiales in territorio suae Ecclesiae patriarchalis potestatem exercentes intra quinquennium ab eorundem inthronizatione, inquamtum fieri potest una cum Patriarcha, visitationem ad Urbem peragant Beatorum Apostolorum Petri et Pauli limina veneraturi atque Petri Successori in primatu super Ecclesiam universam se sistant.

§ 2. Ceteri Episcopi eparchiales singulis quinquenniis, per se vel, si legitime impediti, per alium visitationem peragere debent; quod si Ecclesiae patriarchali aggregati sunt optandum est ut visitatio saltem aliquoties simul cum Patriarcha fiat.

Can. 179 (CS 413)

Episcopus eparchialis commemorari debet a clericis in divina Liturgia ceterisque divinis officiis ad normam legum liturgicarum.

Can. 180 (Ch. D. 21; Eccl. Sanctae I, 11)

§ 1. Episcopi alique ipsis in iure equiparati, eparchias in territorio Ecclesiae patriarchalis regentes, qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverint, renuntiationem ab officio Patriarchae exhibeant, qui in casu de consensu Synodi permanentis providebit; extra territoria Ecclesiae patriarchalis haec renuntiatio exhibetur immediate Romano Pontifici.

§ 2. Enixe rogantur Episcopi eparchiales, qui ob infirmam valetudinem aliamve gravem causam officio suo adimplendo minus apti evaserint, ut vel sua sponte vel a Sede Apostolica aut, in territoriis patriarchalis Ecclesiae, a Patriarcha de consensu Synodi Episcoporum, invitati, renuntiationem ab officio exhibeant; renuntiationem cui invitatio praecesserit Patriarcha acceptare potest, in ceteris casibus vero ad normam canonis 53 § 2 n. 3 est procedendum.

Can. 181 (Ch. D. 21; Eccl. Sanctae I, 11)

§ 1. Episcopus eparchialis cuius renuntiatio ab officio acceptata fuerit, titulum emeriti suae eparchiae retinet, atque habitationis sedem aliquam, si id exoptet, in ipsa eparchia servare potest, nisi certis in casibus ob specialia adiuncta ab Apostolica Sede vel a Patriarcha de consensu Synodi Episcoporum aliter provideatur.

§ 2. Synodus Episcoporum curare debet ut congruae et dignae Episcopi renuntiantis sustentationi provideatur, attenta quidem primaria obligatione qua tenetur ipsa eparchia cui inservivit.

Articulus II

De Episcopis Coadiutoribus et Auxiliariis

Can. 182 (CS 417; Ch. D. 25-26)

§ 1. Quoties Episcopus vel ob nimiam eparchiae amplitudinem aut nimium incolarum numerum vel ob peculiaria apostolatus adiuncta aut alias diversae naturae causas nequit per seipsum omnia episcopalia munia sicut animarum exigit bonum adimplere unus vel plures Episcopi Auxiliares, petente Episcopo eparchiali, constituentur.

§ 2. Cum peculiaris id requirat eparchiae necessitas, gravioribus scilicet adiunctis etiam indolis personalis, constitui potest ex officio Episcopus Coadiutor cum iure successionis specialibus facultatibus instructus.

§ 3. Ad constituendos Episcopos Auxiliares vel Coadiutores servandi sunt canones 52 § 2 n. 2 et 149-155.

Can. 183 (CS 418 § § 1 et 2)

§ 1. Praeter ea quae in canonibus qui sequuntur statuta sunt, iura Coadiutoris desumantur ex litteris quibus constituitur.

§ 2. Iura Coadiutoris a Patriarcha constituti determinat ipse Patriarcha, audita Synodo permanenti; quodsi vero de omnibus iuribus et officiis episcopalibus Coadiutori concedendis agatur requiritur consensus Synodi Episcoporum.

Can. 184 (CS 419)

§ 1. Coadiutor et Auxiliaris, ut canonicum sui officii initium dent, necesse est litteras constitutionis ostendant Episcopo, presente secretario curiae, qui rem in acta referat.

§ 2. Coadiutor debet praeterea easdem ostendere Coetui consultorum eparchialium, praesente cancellario curiae, qui rem in acta referat.

§ 3. Quod si Episcopus eparchialis plene sit impeditus, praetermisso, praescripto § 1, solum praescriptum § 2 a Coadiutore et Auxiliari servetur.

Can. 185 (Ch. D. n. 25 et 26)

§ 1. Episcopus Coadiutor ab Episcopo eparchiali Protosyncellus semper constituatur; insuper ipsi prae aliis Episcopus eparchialis committat, quae ex iure mandatum speciale requirant.

§ 2. Nisi in litteris constitutionis aliud provisum fuerit et firmo praescripto § 1, Episcopus eparchialis, Auxiliarem vel unum ex Auxiliaribus si plures adsint suum constituat Protosyncellum; alios in perpendendis causis maioris momenti, praesertim indolis pastoralis, consulere velit.

§ 3. Episcopi Coadiutores et Auxiliares, eo quod in partem sollicitudinis Episcopi eparchialis vocati sunt, ita munus suum exerceant, ut in omnibus negotiis unanima consensione cum ipso procedant.

Can. 186 (CS 418 § § 3 et 4)

§ 1. Episcopus Coadiutor et Auxiliaris iusto impedimento non detentus debet, quoties fuerit ab Episcopo eparchiali requisitus, functiones obire quas Episcopus eparchialis ipse peragere deberet.

§ 2. Quae episcopalia iura et functiones Episcopus Coadiutor aut Auxiliaris potest et vult exercere, Episcopus eparchialis habitualiter alii ne committat.

Can. 187 (CS 420)

Episcopus Coadiutor et Auxiliaris obligatione tenetur residendi in eparchia e qua, praeterquam causa obligationum quae legitime absentiam ab eparchia requirunt, ne discedat nisi ad breve tempus, Episcopo eparchiali consentiente.

Can. 188 (CS 421; Ch. D. 26)

§ 1. Vacante sede, Episcopus Coadiutor statim evadit Administrator eparchiae, usquedum sedis possessionem ad normam can. 157 coeperit, firmis facultatibus quas sede plena exercebat.

§ 2. Episcopus Auxiliaris, sede vacante, potestates Protosyncelli vel Syncelli retinet, nisi in territoriis propriae Ecclesiae in casu peculiari aliud statutum fuerit.

Can. 189

§ 1. Ad renuntiationem ab officio Episcopi Coadiutoris vel Auxiliaris quod attinet, applicantur praescripta canonum 180 et 181 § 2: ipsi tribuitur emeriti titulus muneris quod antea expleverat.

§ 2. Episcopus Auxiliaris de renuntiatione statim moneat Episcopum eparchialem.

Articulus IV

De sede eparchiali vacante vel impedita

Can. 190 (CS 468)

§ 1. Sedes episcopalis vacat Episcopi eparchialis morte, renuntiatione legitime acceptata postquam renuntianti significata est acceptatio, translatione, amotione ac privatione Episcopo intimata.

§ 2. Vacante sede omnia quae a Protosyncello vel Syncellis legitime gesta sunt usquedum certam de obitu Episcopi eparchialis notitiam acceperint vim habent; itemque vim habent omnia quae ab ipso Episcopo vel a supradictis legitime gesta sunt usquedum de memoratis actibus authenticum nuntium vel declarationem iure requisitam receperint.

§ 3. Ab authentico translationis nuntio Episcopus intra duos menses debet novam eparchiam petere eiusdemque canonicam administrationem inire ad normam canonum 156 et 157. A die initae administrationis, prior eparchia plene vacat; interim vero in eadem Episcopus:

1° Administratoris eparchiae vacantis potestatem obtinet iisdemque obligationibus tenetur, cessante qualibet Protosyncelli aut Syncelli potestate, nisi ipsi Episcopi sint;

2° honorifica Episcoporum eparchialium privilegia conservat;

3° redditus prioris officii integros percipit.

Can. 191 (CS 469-470 § 4, 473 § 2)

§ 1. Intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis, sede eparchiali vacante, firmis praescriptis circa quosdam actus prohibitos, ordinaria Episcopi potestas in spiritualibus et temporalibus transit, ante designationem Administratoris eparchiae vacantis, ad Patriarcham, salvo iure particulari et nisi aliter a Romano Pontifice provisum fuerit; Protosyncellus et Syncellus tamen in munere perdurant donec Administrator a Patriarcha nominatus, officii sui administrationem ineat; quo officio inito ad ipsum solum Episcopi potestas devolvitur; Protosyncelli et Syncelli potestas vero cessat, nisi ipsi Episcopi sint.

§ 2. In ceteris casibus, vacante sede, regimen eparchiae, usque ad constitutionem Administratoris eparchialis, transit ad Episcopum Auxiliarem, et si plures sint ad eorum episcopali consecratione antiquiorem vel, deficiente Episcopo Auxiliari, ad Collegium consultorum eparchialium, nisi tamen a Sede Apostolica aliter provisum fuerit; praedicti eparchiam ad interim regant potestate quam ius Protosyncello agnoscit.

§ 3. Patriarcha et ii de quibus in § 2 quantocius de sedis vacatione certiore faciant Sedem Apostolicam.

Can. 192 (CS 475)

In Administratore constituendo nullam sibi potestatis partem nec Patriarcha nec Collegium consultorum eparchialium retinere potest, nec gerendo officio tempus praefinire aliasve restrictiones praestituere.

Can. 193 (CS 249-250)

§ 1. Ad eparchias vacantes in territorio Ecclesiae patriarchalis sitas quod attinet, Patriarchae competit:

1° eparchiae vacanti invigilare;

2° ius nominandi Administratorem intra mensem utilem ab accepta vacationis notitia auditis Episcopis in curia officium cum residentia habentibus, si adsint, secus Synodo permanenti; elapso inutiliter mense, Administratoris nominatio ad Sedem Apostolicam devolvitur.

§ 2. Patriarchae ius et officium est curandi ut sedi vacanti, quamprimum, nec ultra terminos iure communi statutos, dignus idoneusque pastor detur.

Can. 194 (CS 470)

§ 1. Extra territoria Ecclesiae patriarchalis Collegium consultorum eparchialium, sede vacante, intra octo dies ab accepta notitia vacationis, debet Administratorem qui loco sui eparchiam regat eligere.

§ 2. Si intra praescriptum tempus Administrator, quavis de causa, non fuerit legitime electus, designatio devolvitur ad Metropolitanam, etsi ad normam canonis 144 designatum, et si vacans sit ipsa Ecclesia metropolitana aut metropolitana simul et comprovincialis, ad Episcopum comprovincialem consecratione episcopali antiquiorem.

§ 3. Administrator eparchialis de sui electione Sedem Apostolicam et, si Ecclesiae patriarchali aggregatus sit, Patriarcham quantocius certiore faciat.

Can. 195 (CS 471)

§ 1. Administratorem eparchiae vacantis eligere debet Collegium consultorum eparchialium per actum collegialem ad normam canonum NN(15) « De electionibus », salvis peculiaribus huius capitis normis, et ad eius validitatem requiritur pars suffragiorum absolute maior demptis suffragiis nullis.

§ 2. Unus deputetur Administrator eparchialis, reprobata contraria consuetudine; quare si oeconomus eparchiae in Administratorem electus fuerit, alium pro tempore oeconomum designet Consilium a rebus oeconomicis.

Can. 196 (CS 472)

§ 1. Ad Administratoris eparchiae vacantis officium designari valide non potest sacerdos vinculo matrimoniali adstrictus, nec qui tricesimum aetatis annum non expleverit, vel ad eandem vacantem sedem fuerit electus, nominatus vel praesentatus.

§ 2. Administrator eparchiae vacantis sit integritate, pietate, sana doctrina cum prudentiae laude conspicuus.

(15) Sermo est de iisdem canonibus de quibus in adnotatione 14.

§ 3. Si praescriptae § 1 condiciones posthabitaе fuerint applicetur praescriptum canonis 194 § 2; actus autem illius qui a Collegio consultorum electus fuerat, ipso iure sunt nulli.

Can. 197 (CS 474)

§ 1. Sede vacante nihil innovetur.

§ 2. 1° Administratori et Collegio consultorum eparchialium non licet agere quicquam quod vel eparchiae vel episcopalibus iuribus praeiudicium aliquod afferre possit;

2° tum Administrator et Collegium consultorum eparchialium tum alii omnes, clerici vel laici, prohibentur curiae episcopalis documenta quaelibet subtrahere vel destruere vel celare vel immutare.

Can. 198 (CS 476)

Administrator eparchiae vacantis a Patriarcha designatus, postquam fidei professionem coram Patriarcha emisit, potestatem obtinet, non exercendam tamen nisi postquam litteras patriarchales suae designationis Collegio consultorum eparchialium ostenderit; curet tamen easdem litteras quamprimum clero totius eparchiae notas facere.

§ 2. Administrator sedis vacantis a Collegio consultorum eparchialium electus, edita fidei professione, statim potestatem obtinet, neque indiget cuiusquam confirmatione.

Can. 199 (CS 478)

Administrator obligatione tenetur residendi in eparchia et applicandae divinae Liturgiae pro populo ad normam canonis 165.

Can. 200 (CS 479)

Nisi aliter fuerit legitime provisum:

1° Administrator ius habet ad congruam retributionem, in iure particulari vel recepta consuetudine determinatam, desumendam ex bonis eparchiae;

2° cetera emolumenta ad Episcopum spectantia, quo tempore sedes episcopalis vacaverit, futuro Episcopo pro eparchiae necessitatibus reserventur, servatis praescriptis iuris particularis quae modum quo emolumenta erogari debeant, definiant.

Can. 201 (CS 480)

§ 1. Remotio Administratoris in territorio Ecclesiae patriarchalis pertinet ad Patriarcham de consensu Synodi permanentis secus vero Sedi Apostolicae reservatur.

§ 2. Renuntiatio Administratoris eparchiae authentica forma ad normam canonis NN(16) « De amissione officiorum » exhibenda est Patriarchae, si ipse Administratorem designaverit, secus Coetui consultorum eparchialium, quo in casu eam acceptare ut valeat necesse non est.

§ 3. Post obitum vel remotionem Administratoris novus constituatur ab eadem auctoritate et eodem modo ac pro priore praescriptum est.

§ 4. Cessat munus Administratoris eparchialis per captam a novo Episcopo eparchiae possessionem.

Can. 202 (CS 481)

§ 1. 1° Oeconomus munus suum impleat sub auctoritate Administratoris eparchiae vacantis;

2° ad ipsum oeconomum devolvitur administratio eorum bonorum quae, ob sedis vacationem, administratorem non habent, nisi Patriarcha aut Collegium consultorum eparchialium aliter providerint.

§ 2. Remotionem vel renuntiationem oeconomi sede vacante quod attinet servandae sunt normae canonis 201 § § 1-2.

§ 3. Resoluto quovis modo iure oeconomi intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis, novi electio vel nominatio pertinet ad Patriarcham de consensu Synodi permanentis; in ceteris casibus ad Collegium consultorum eparchialium, per partem suffragiorum absolute maiorem.

§ 4. Oeconomus novo Episcopo rationem reddere debet suae administrationis, qua reddita, nisi ab eodem confirmetur, a munere cessat.

Can. 203 (CS 482)

§ 1. Novus Episcopus a consultoribus eparchialibus aut ab Administratore, ab oeconomo et ab aliis officialibus, qui, sede vacante, fuerunt constituti, rationem exigere debet officiorum, potestatis executivae, administrationis munerisve ipsorum cuiuslibet, et in eos animadvertere, qui in suo officio seu administratione deliquerint, etiamsi, redditis rationibus, Collegium consultorum eparchialium per se vel per alios absolutionem aut liberationem iis concesserit.

§ 2. Iidem rationem reddant novo Episcopo scripturarum ad Ecclesiam pertinentium, si quae ad ipsos pervenerint.

Can. 204 (CS 467)

§ 1. Sede per Episcopi captivitatem, relegationem, exilium aut inhabilitatem ita impedita ut ne per litteras quidem cum christifidelibus sibi commissis communicare ipse possit, eparchiae regimen, nisi aliter providerit Pa-

(16) Sermo est de canone 128 Motu proprio « Cleri sanctitati » utpote recognito in schemate « De normis generalibus... », cf. *Nuntia* 18 p. 39, can. 56.

triacha de consensu Synodi permanentis in eparchiis territorii Ecclesiae cui ipse praest aut Sedes Apostolica, est penes Episcopum Coadiutorem si adsit; eo deficiente aut impedito penes Protosyncellum, Syncellum vel alium idoneum sacerdotem ab Episcopo designatum, cui ipso iure competunt potestas, iura et officia Protosyncelli; potest Episcopus opportuno tempore plures designare, qui sibi invicem in officium succedunt.

§ 2. Iis de quibus in § 1 deficientibus aut impeditis quominus eparchiae regimen assumant ad normam canonum 191, 193, 194 procedendum est et Administrator eparchiae designatur, cui competit potestas Administratoris eparchiae vacantis.

§ 3. Qui eparchiam regendam suscepit, quamprimum Patriarcham et Sedem Apostolicam moneat de sede impedita ac de assumpto officio.

Articulus V

De Administratoribus apostolicis

Can. 205 (CS 352-361)

§ 1. Eparchiae canonicae erectae regimen, sive plena sive vacante sede, aliquando Romanus Pontifex ob graves et speciales causas Administratori apostolico vel in perpetuum vel ad tempus committit.

§ 2. Iura, officia ac privilegia Administratoris apostolici desumuntur ex litteris suae nominationis.

Caput II

DE ORGANIS EPISCOPUM IN REGIMINE ADIUVANTIBUS

Articulus I

De Conventu eparchiali

Can. 206 (CS 422)

Conventus eparchialis adiutricem praestat operam Episcopo in iis quae ad particulares cleri populique eparchiae necessitates vel utilitates referuntur.

Can. 207 (CS 422)

§ 1. Conventus eparchialis celebretur quinto saltem quoque anno, nisi in iure particulari singularum Ecclesiarum sui iuris brevius tempus statuatur.

§ 2. De Conventus eparchialis convocatione Episcopus eparchialis Patriarcham quamprimum certiore faciat.

Can. 208 (CS 423)

§ 1. Episcopi eparchialis est Conventum eparchiale convocare, eidem per se vel per alium praeesse, illum suspendere vel absolvere.

§ 2. Vacante sede Conventus suspenditur ipso iure, donec novus Episcopus de re decernat.

Can. 209 (CS 424)

§ 1. Ad Conventum convocandi sunt eumque adire debent:

1° Protosyncellus, Syncelli, Vicarius iudicialis ac Oeconomus eparchialis;

2° Consultores eparchiales;

3° Rector Seminarii eparchialis saltem maioris;

4° Protopresbyteri;

5° ex unoquoque Protopresbyteratū unus saltem parochus ab omnibus eligendus inibi curam animarum actu habentibus; item eligendus est alius presbyter qui, eodem impedito, eius locum sufficiat;

6° membra Consilii presbyteralis atque aliqui delegati Consilii pastoralis, ubi extat, ab eodem Consilio eligendi, modo et numero iure particulari statutis;

7° Superiores Monasteriorum sui iuris aliqui Superiores ceterorum Institutorum vitae consecratae in eparchia commorantes eligendi numero et modo iure particulari statutis;

8° laici sive ex viris sive ex mulieribus a Consilio pastorali, ubi adsit, electi, secus modo ab Episcopo determinato, ita ut numerus laicorum tertiam partem sodalium Conventus non superet.

§ 2. Episcopus, si opportunum iudicaverit potest ad Conventum invitare alios quoque, non exclusis personis alius ritus quibus omnibus etiam ius suffragii concedere potest.

§ 3. Ad Conventum eparchialem invitari possunt aliqui observatores ex Ecclesiis vel Communitatibus ecclesialibus non Catholicis.

Can. 210 (CS 425)

Ii qui Conventum adire debent, si legitimo impedimento detineantur, non possunt mittere procuratorem qui eorum nomine Conventui intersit; sed Episcopum de impedimento certiore faciant.

Can. 211 (CS 426)

§ 1. Episcopus, opportuno ante Conventus celebrationem tempore, unam vel plures constituat commissiones, quarum est res in Conventu tractandas apparare.

§ 2. Curet etiam ut, tempore opportuno, omnibus qui convocati sunt quaestionum tractandarum schema tradatur.

Can. 212 (CS 427)

Propositae quaestiones omnes liberae adstantium disceptationi in sessionibus Conventus subiiciantur.

Can. 213 (CS 428)

Unicus est in Conventu eparchiali legislator Episcopus eparchialis, ceteris suffragium tantum consultivum habentibus; unus ipse subscribit constitutionibus quae in Conventu datae sunt; quae, si in Conventu promulgentur, eo ipso obligare incipiunt, nisi aliud expresse caveatur.

Can. 214

Textum declarationum ac constitutionum quae in Conventu datae sunt, Episcopus eparchialis quamprimum cum Patriarcha communicet, extra vero territoria Ecclesiae patriarchalis id quamprimum communicet cum Sede Apostolica et, si Ecclesiae patriarchali aggregatus sit, etiam cum Patriarcha.

Articulus II

De curia eparchiali

Can. 215 (CS 429-431 § 1)

§ 1. Episcopus penes suam sedem instructam habere debet curiam quae ipsum iuvat in regimine eparchiae sibi commissae.

§ 2. Ad curiam pertinent Protosyncellus, Syncelli, Oeconomus et Consilium de re oeconomica, Vicarius iudicialis, Cancellarius, Promotor iustitiae et Defensor vinculi, eparchiales iudices, notarii, et aliae personae quae ad praedictorum officia recte adimplenda ab Episcopo assumuntur.

§ 3. Episcopus, necessitate vel utilitate eparchiae exigente, alios quoque officiorum titulares, etiam permanentes in curia constituere valet.

Can. 216 (CS 430 et 431)

§ 1. Nominatio et remotio ab officio eorum qui officia in curia eparchiali exercent spectat ad Episcopum eparchialem, firmo canone 185.

§ 2. Omnes qui ad officia in curia admittuntur debent;

1° promissionem emittere de munere fideliter adimplendo secundum rationem iure vel ab Episcopo determinatam;

2° negotia ad se spectantia debita cum diligentia tractare, ad normam iuris;

3° secretum servare intra fines et secundum modum iure aut ab Episcopo determinatos.

1) De Protosyncello et Syncellis

Can. 217 (CS 433; Ch. D. 27)

In unaquaque eparchia constituendus est Protosyncellus, qui potestate ordinaria ad normam canonum qui sequuntur instructus Episcopum in universae eparchiae regimine adiuvet.

Can. 218 (CS 432 § § 3 et 4; Ch. D. 27)

Quoties rectum eparchiae regimen id requirat constitui possunt unus aut plures Syncelli qui nempe ipso iure, in determinata eparchiae parte aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati ritus certive personarum coetus, ea gaudent potestate quam ius commune Protosyncello tribuit.

Can. 219 (CS 433)

§ 1. Firmo canone 185, Protosyncellus et Syncellus sint praesbyteri, coelibes nisi ius particulare aliud statuatur, in quantum fieri potest e clero eparchiali, annos nati non minus triginta, in aliqua sacra scientia doctores vel licentiiati vel saltem vere periti, sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum gerendarum experientia commendati.

§ 2. Protosyncelli vel Syncelli officium ne committatur Episcopi consanguineis usque ad tertium gradum inclusive, aut, exclusa necessitate, parcho ceterisque curam animarum habentibus.

§ 3. Episcopus potest Protosyncellum et Syncellum ex alia eparchia assumere.

Can. 220 (CS 434)

§ 1. Nisi aliud expresse caveatur, Protosyncello in universa eparchia, Syncello vero intra limites muneris sibi commissi, vi officii, ea competit, in spiritualibus ac in temporalibus, potestas executiva, quae Episcopo, iis exceptis quae ipse Episcopus sibi vel aliis reservaverit aut quae ex iure requirant speciale mandatum, quo non obtento actus ad quem huiusmodi mandatum requiritur est nullus; Protosyncelli et Syncelli potestas est ordinaria vicaria etiam in iis quae ex speciali mandato agunt.

§ 2. Nisi aliud expresse cautum fuerit Protosyncellus et Syncellus exsequi possunt rescripta apostolica vel patriarchalia quae Episcopo vel praecedenti rectori eparchiae remissa sunt ac regulariter ad ipsos quoque pertinent, ad normam § 1, facultates habituales Hierarchae loci concessae.

Can. 221 (CS 435)

§ 1. Protosyncellus et Syncelli praecipua acta curiae ad Episcopum referant ipsumque certiores faciant de iis quae gesta aut gerenda sint ad tuendam in clero et populo disciplinam.

§ 2. Caveant ne suis potestatibus utantur contra mentem et voluntatem sui Episcopi.

Can. 222 (CS 436 § 2)

Protosyncellus et Syncellus qui Episcopi non sunt durante munere habent privilegia et insignia primae post episcopalem potestatis.

Can. 223 (CS 437)

§ 1. Expirat Protosyncelli et Syncelli potestas per legitimam renuntiationem aut remotionem vel sedis episcopalis vacationem firmis § 2, canone 188 § 2 et canone 192 § 1 et 2.

§ 2. In eparchia Patriarchae propria sede vacante, non expirat Protosyncelli potestas, firmo canone 197 § 1.

§ 3. Suspenso munere Episcopi eparchialis suspenditur potestas Protosyncelli et Syncelli, nisi episcopali dignitate aucti sint.

2) De Cancellario aliisque notariis et archivo eparchiali

Can. 224 (CS 439)

§ 1. In qualibet curia constituatur Cancellarius qui sit presbyter vel diaconus, cuius praecipuum munus est curare ut acta curiae redigantur et expediantur, ut eadem in curiae archivo custodiantur, ut ordine chronologico disponantur et de iisdem indicis tabula conficiatur.

§ 2. Si necesse videatur, Cancellario dari potest adiutor, cui nomen sit Vice-cancellarii.

§ 3. Cancellarius necnon Vice-cancellarius sunt eo ipso notarii seu secretarii curiae.

Can. 225 (CS 440)

§ 1. Praeter Cancellarium, constitui possunt alii notarii, quorum quidem scriptura seu subscriptio publicam fidem facit, et quidem sive ad quaelibet acta, sive ad acta iudicialia dumtaxat sive ad acta certae causae aut negotii tantum.

§ 2. Notarii assumi possunt etiam laici; in causis tamen quibus fama sacerdotis in discrimen vocari possit notarius debet esse sacerdos.

Can. 226 (CS 441)

Officium notariorum est:

1° conscribere acta et instrumenta circa decreta, dispositiones, obligationes aliave de quibus eorum opera requiritur;

2° in scriptis fideliter redigere quae geruntur, eaque cum significatione diei, mensis et anni subsignare;

3° acta vel instrumenta legitime petenti ex regesto, servatis servandis exhibere et eorum exempla cum autographo conformia declarare.

Can. 227 (CS 440 § § 4 et 5)

Cancellarii alique notarii ab officio removeri possunt ab Episcopo eparchiali, non autem ab Administratore eparchiae vacantis, nisi de consensu consultorum eparchialium.

Can. 228 (CS 442)

§ 1. Episcopi in loco tuto ac commodo archivum seu tabularium eparchiale constituent, in quo instrumenta et scripturae, quae ad negotia eparchiae tum spiritualia tum temporalia spectant, apte dispositae et diligenter clausae custodiantur.

§ 2. Omni diligentia ac sollicitudine conficiatur inventarium seu catalogus documentorum quae in archivo continentur cum brevi singularum scripturarum synopsi.

Can. 229 (CS 444)

§ 1. Archivum clausum sit oportet eiusque clavem habeant soli Episcopus et Cancellarius; nemini licet illud ingredi sine licentia aut solius Episcopi aut Protosyncelli simul et Cancellarii.

§ 2. Ius est iis quorum interest ut documentorum, quae natura sua sunt publica quaeque ad statum suae personae pertinent, documentum authenticum scriptum vel photostaticum per se vel per procuratorem recipiant.

Can. 230 (CS 445)

§ 1. Ex archivo non licet afferre documenta, nisi ad breve tempus tantum atque de Episcopi aut Protosyncelli et Cancellarii licentia.

§ 2. Qui aliquam scripturam ex archivo effert, syngropham sua manu signatam, hoc ipsum significantem, Cancellario tradat.

Can. 231 (CS 446)

§ 1. Sit curiae eparchiali aliud archivum, aut saltem in communi archivo armarium seu scrinium, omnino clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat, in quo scilicet documenta secreto servanda cautissime custodiantur.

§ 2. Singulis annis destruantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint aut quae a decennio absolutae sunt, retento facti brevi summario textum sententiae definitivae exhibente.

Can. 232 (CS 446, 447, 448, 449)

§ 1. Archivi secreti clavem habeant tantummodo Episcopus et Cancellarius aut pro opportunitate alius sacerdos ab Episcopo designatus.

§ 2. Sede vacante archivum vel armarium secretum ne aperiatur, nisi in casu verae necessitatis, ab ipso Administratore eparchiali eiusve delegato.

§ 3. Ex archivo vel armario secreto documenta ne efferantur.

Can. 233 (CS 450-451)

§ 1. Curet Episcopus ut acta et documenta archivorum quoque ecclesiarum cathedralium, paroecialium necnon personarum iuridicarum ecclesiasticarum et piorum locorum diligenter serventur atque inventaria seu catalogi conficiantur duobus exemplis, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali serventur.

§ 2. Acta et documenta de quibus in § 1 ut inspiciantur aut efferantur serventur normae ab Episcopo statutae.

3) De Oecono et Consilio a rebus oeconomicis

Can. 234 (CS 438; PA 262)

§ 1. Pro administratione bonorum ecclesiasticorum, quorum proprietas est penes ipsam eparchiam, constituendum est in curia eparchiali Officium quod constat oecono, ratiocinatore et aliis necessariis ministris.

§ 2. 1° Oeconomus iis qualitatibus praeditus sit oportet quae in oecono patriarchali requiruntur, attamen ipse sive clericus sive laicus esse potest.

2° Oecono, si res ferat, socius vel auxiliaris, unus vel plures, etiam laici, dari possunt.

3° Oeconomus ab Episcopo, auditis Consiliis presbyterali et a rebus oeconomicis, nominatur ad tempus iure particulari determinantum; munere durante ne amoveatur nisi ob gravem causam ab Episcopo, auditis iisdem Consiliis, aestimandam.

§ 3. Oeconomi est, sub Episcopi potestate qui eius iura ac relationes ad Consilium a rebus oeconomicis pressius definiat, bona eparchiae administrare, bonorum ecclesiasticorum administrationi in tota eparchia invigilare, eorum conservationi, tutelae et incremento providere, administra-

torum localium negligentiam supplere et bona quae administratore, iure designato, carent per se administrare.

§ 4. Oeconomus rationem administrationis Episcopo quotannis et quoties ab ipso petitur reddere debet. Episcopus per Consilium a rebus oeconomicis rationes ab oeconomo exhibitas examinat, arcam recognoscit, convenientes inspectiones bonorum, documentorum, nominum, inopinato etiam, exsequitur seu exsequendas iubet.

§ 5. De muneribus oeconomi sede vacante servandus est canon 202

Can. 235 (PA 263)

§ 1. Hierarcha loci Consilium a rebus oeconomicis instituat, quod constet Praeside, qui est ipsemet Hierarcha, et aliquot personis idoneis, iuris etiam civilis, quantum fieri potest, peritis, ab ipso Hierarcha, auditis consultoribus eparchialibus, eligendis nisi iure vel consuetudine particulari iam alio aequivalenti modo legitime fuerit provisum, firma semper lege, ut ab aliis electi indigeant confirmatione loci Hierarchae.

§ 2. A Consilio a rebus oeconomicis excluduntur qui cum Hierarcha loci, usque ad quartum gradum inclusive, consanguinitate vel affinitate coniuncti sint.

§ 3. Oeconomus eparchialis, ipso iure, est membrum Consilii a rebus oeconomicis.

§ 4. Loci Hierarcha in actibus maioris momenti rem oeconomicam respicientibus Consilium a rebus oeconomicis audire ne praetermittat; huius tamen sodales suffragium habent tantum consultivum, nisi iure communi in casibus specialiter expressis vel ex tabulis foundationis eorum consensus exigatur.

§ 5. Praeter munera ipsi commissa in canonibus de iure patrimoniali Consilii a rebus oeconomicis est quotannis rationem apparare quaestuum et erogationum quae pro universo eparchiae regimine anno venturo praevidentur, necnon, anno exeunte, rationem accepti et expensi probare.

Articulus III

De Consilio presbyterali et Collegio consultorum eparchialium

Can. 236

§ 1. In unaquaque eparchia habeatur Consilium presbyterale, scilicet coetus sacerdotum Presbyterium repraesentantium, qui Episcopum suo consilio efficaciter adiuvet in iis quae ad necessitates operis pastoralis et bonum eparchiae spectant.

§ 2. Consilium presbyterale constat solis sacerdotibus eique praeest Episcopus eparchialis.

Can. 237

Consilium presbyterale habeat propria statuta ab Episcopo probata, attentis normis iure communi vel propria Ecclesia prolatís.

Can. 238

Ad designationem quod attinet sodalium Consilii presbyteralis:

- 1° congrua eorum pars libere eligatur a sacerdotibus ipsis ad normam canonum qui sequuntur necnon statutorum;
- 2° aliqui sacerdotes, ad normam statutorum, esse debent membra nata, qui scilicet ratione officii ipsis demandati ad Consilium pertinent;
- 3° Episcopo eparchiali integrum est aliquos libere nominare.

Can. 239

§ 1. Ius electionis tum activum tum passivum ad Consilium presbyterale constituendum habent:

1° omnes sacerdotes eparchiales in ipsa eparchia incardinati qui insimul in eadem domicilium aut quasi domicilium habent, aut in bonum eparchiae officium aliquod adimplent;

2° sacerdotes eparchiales in alia eparchia incardinati, qui tamen in eparchia de qua agitur domicilium et quasi domicilium habent et ibidem officium aliquod in bonum eparchiae exercent;

3° monachi et alii sodales Institutorum vitae consecratae monasterio vel domui in eparchia sitis adscripti, qui insimul officium aliquod in bonum eparchiae exercent.

§ 2. Quatenus statuta id provideant idem ius electionis conferri potest aliis sacerdotibus qui domicilium aut quasi-domicilium in eparchia habent vel, si sint monachi vel alii sodales Institutorum vitae consecratae, monasterio vel domui in eparchia sitis adscripti; aut sacerdotibus officium aliquod in bonum eparchiae exercentibus.

Can. 240

Modus eligendi membra Consilii presbyteralis a statutis determinandus est, ita quidem ut, quatenus id fieri possit, sacerdotes Presbyterii repraesententur ratione habita maxime diversorum ministeriorum variarumque eparchiae regionum.

Can. 241

§ 1. Consilium presbyterale gaudet voto consultivo tantum; audiedum vero est in causis quae iure communi expresse determinantur aut quae, iudicio ipsius Episcopi eparchialis, regimen generale eparchiae respiciunt; unius autem Episcopi eparchialis est causas dirimere et decisiones ferre.

§ 2. Episcopus ad agendum consensu Consilii presbyteralis indiget tantummodo in casibus iure communi determinatis.

§ 3. In causis vero de quibus in paragrapho praecedenti, ut Patriarcha in sua eparchia valide agat, requiritur et sufficit ut ipse Consilium presbyterale audiat.

§ 4. Consilium presbyterale nusquam agere valet sine Episcopo eparchiali, cuius etiam solius cura divulgari possunt quae ad normam paragraphorum praecedentium statuta sunt.

Can. 242

§ 1. Consilium presbyterale constituatur ad tempus, in statutis determinandum, ita tamen ut integrum Consilium vel aliqua eius pars intra quinquennium renovetur.

§ 2. Vacante sede Consilium presbyterale cessat eiusque munera implentur a Collegio consultorum de quo in canone 243; intra sex menses a capta possessione suae sedis, novus Episcopus debet Consilium presbyterale noviter constituere.

§ 3. Si Consilium presbyterale munus sibi in bonum eparchiae commissum non amplius adimpleat aut eodem graviter abutatur, Episcopus, audito quidem Collegio consultorum eparchialium, illud dissolvere potest, sed intra annum debet illud noviter constituere.

Can. 243 (CS 458-463)

§ 1. Episcopus nominat inter membra Consilii presbyteralis aliquos sacerdotes, numero non minori quam sex nec maiori quam duodecim, qui Collegium consultorum eparchialium ad quinquennium constituent, cui competunt munera iure determinata.

§ 2. Inter consultores eparchiales ipso iure numerantur primus presbyter in ecclesia cathedrali, atque oeconomus si presbyter sit.

§ 3. Collegio consultorum praest Episcopus; sede autem impedita vel vacante, is qui ad interim Episcopi locum tenet aut, si constitutus nondum fuerit, in Collegio consultorum sacerdos ordinatione antiquior.

§ 4. Patriarcha in regimine propriae eparchiae Collegium consultorum eparchialium audiat necesse est, quoties ius statuit Hierarcham loci eorum consilio vel consensu indigere.

Articulus IV

De Consilio pastorali

Can. 244

In singulis eparchiis Episcopus quatenus pastoralis sollicitudo id sua-deat, constituat Consilium pastorale cuius est ea quae ad opera pastoralia

spectant investigare, perpendere atque de eis conclusiones practicas proponere.

Can. 245

§ 1. Consilium pastorale constituitur ad tempus, iuxta praescripta statutorum, quae ab Episcopo dantur attentis principiis iuris communis et Ecclesiae sui ritus propriis.

§ 2. Sede vacante Consilium pastorale extinguitur.

Can. 247

Consilium pastorale Episcopus libere convocat quotiescumque id ipsi opportunum videatur eique per se vel per alium praeest.

Articulus V

De protopresbyteris

Can. 248 (CS 483)

§ 1. Protopresbyter est presbyter qui districtui, pluribus paroeciis constanti, praeficitur ut ibidem, nomine Episcopi, munera expleat in canonicis qui sequuntur definita.

§ 2. Districtus de quibus in § 1 constituere, suppressere aut innovare, secundum necessitates actionis pastoralis, pertinet ad Episcopum eparchialem, audito Consilio presbyterali, non autem ad Protosyncellum vel Syncellum sine speciali mandato.

Can. 249 (CS 484)

§ 1. Ad Protopresbyteri officium, quod cum officio parochi certae paroeciae non ligatur, exercendum Episcopus nominet, auditis, pro suo iudicio, parochis et vicariis paroecialibus districtus de quo agitur, presbyterum doctrina et apostolica alacritate praestantiorum praesertim inter parochos.

§ 2. Protopresbyter nominatur ad tempus iure particulari determinatum.

§ 3. Episcopus protopresbyterum iusta de causa amovere potest.

Can. 250 (CS 485-487)

§ 1. Protopresbytero, praeter facultates quae ei iure particulari tribuuntur, ius et officium est potissimum:

1° universa quae ad pastorem actionem studia et incepta in districtu sibi commisso suscipiunt clerici, sodales Monasteriorum ceterorumque Institutorum vitae consecratae et laici, promovendi, moderandi et coordinandi;

2° prospiciendi ut presbyteri et diaconi sui districtus vitam ducant proprio statui congruam, utque officiis suis diligenter satisfaciant, in specie ut verbi divini ministerium debite persolvant cateheticamque institutionem tradant, ut sacramenta christifidelibus administrent, utque legem residentiae servent;

3° providendi ut divina officia secundum librorum liturgicorum praescripta celebrentur, ut decor et nitor ecclesiarum et sacrae suppellectilis, maxime in celebratione divinae Liturgiae et asservatione divinae Eucharistiae, accurate serventur, ut recte conscribantur et debite custodiantur libri paroeciales, ut bona ecclesiastica sedulo administrentur, utque domus paroecialis debita diligentia curetur.

§ 2. In districtu sibi concredito protopresbyter:

1° fraterna sollicitudine prosequatur presbyteros, diaconos aliosque qui ministerio sese devovent, confidentem cum eis consuetudinem habens atque communi cum eis consilio curans ut opus pastorale fructuose perficiatur;

2° operam det ut presbyteri alique clerici, iuxta iuris particularis praescripta, statutis ab eodem temporibus, praelectionibus, conventibus theologicis aut conferentiis intersint;

3° curet ut presbyteris, diaconis aliisque clericis sui districtus subsidia spiritualia praesto sint, utque ipsis quae ad vitam honeste et digne ducendam subsidia materialia non desint, atque maxime sollicitus sit de iis presbyteris qui in difficilioribus versantur circumstantiis aut problematibus anguntur, eosdem frequenter visitans.

§ 3. Curet protopresbyter ne parochi sui districtus, quos graviter aegrotantes noverit, spiritualibus ac materialibus careant auxiliis, utque eorum qui decesserint funera celebret; provideat quoque ne, eis aegrotantibus vel decedentibus, libri, documenta, sacra suppellex aliaeque quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur.

§ 4. Protopresbyter obligatione tenetur secundum determinationem ab Episcopo eparchiali factam, sui districtus paroecias visitare. Semel saltem in anno, statuto ab Episcopo tempore, protopresbyter de statu paroeciarum sui districtus, de actione pastorali in easdem expleta et prospecta, necnon de condicionibus votisque presbyterorum aliorumque qui in territorio sibi concredito ministerio sese devovent Episcopo eparchiali rationem reddat.

Caput III

DE PAROECIIS ET DE PAROCHIS, VICARIIS PAROECIALIBUS AC DE RECTORIBUS ECCLESiarUM

Articulus I

De paroeciis et de parochis

Can. 251 (Sacrosanct. Conc. 42)

Paroecia est coetus christifidelium sub pastore vices gerente Episcopi eparchialis ordinatus, qui quodammodo repraesentat Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam.

Can. 252

§ 1. Paroecia regula generali sit territorialis, quae scilicet omnes complectatur christifideles certi territorii; ubi vero, de iudicio Episcopi eparchialis, audito Consilio presbyterali, id expediat, constituentur paroeciae personales, ratione nationis, linguae, ritus christifidelium alicuius territorii, immo vel alia definita ratione determinatae.

§ 2. Paroecias erigere, suppressere aut eas innovare unius est Episcopi eparchialis, audito Consilio presbyterali, non autem Protosyncelli vel Syncelli sine speciali mandato.

§ 3. Paroeciae legitime erectae personalitate iuridica ipso iure gaudent.

Can. 253 (Ch. D. 30, CS 489)

§ 1. Parochus est presbyter cui, ut praecipuo cooperatori Episcopi, tamquam pastori proprio, animarum cura committitur in determinata eparchiae parte sub eiusdem Episcopi auctoritate.

§ 2. Non admittitur personam iuridicam esse parochum.

§ 3. Si paroecia pluribus presbyteris committitur ius particulare accurate determinet quanam sint iura et obligationes moderatoris qui actionem communem dirigat atque de eadem Episcopo respondeat et quanam ceterorum presbyterorum.

Can. 254 (CS 489-492; Eccl. Sanctae 33, 1)

§ 1. Episcopus eparchialis, non vero Administrator eparchiae vacantis nec Syncellus sine mandato speciali, potest, audito Consilio pastoralis ac de consensu Superioris Maioris Instituti vitae consecratae, paroeciam erigere in ecclesia eiusdem Instituti, firmo canone 253 § 2.

§ 2. Haec erectio fieri debet mediante scripta conventione inter Episcopum eparchialem et Superiorem Maiorem Instituti vitae consecratae, quae accurate statuentur quae ad opus explendum, ad personas eidem addicendas, ad res oeconomicas spectant, ac quatenus sunt iura et obligationes communitatis in ipsa ecclesia et quatenus parochi.

Can. 255 (CS 493)

§ 1. Ut presbyter parochus nominari possit, oportet sit bonis moribus, doctrina, animarum zelo, prudentia, ceterisque virtutibus ac qualitatibus praeditus, quae ad vacantem paroeciam cum laude gubernandam iure tum communi tum particulari requiruntur.

§ 2. Si presbyter matrimonio sit iunctus, boni mores et in uxore et in liberis suis secum degentibus requiruntur.

Can. 256 (CS 494-496, 497)

§ 1. Ius nominandi et instituendi parochos competit solo Episcopo eparchiali.

§ 2. Parochum libere nominat Episcopus eparchialis, salvo praescripto § 3; in iisdem tamen designandis Episcopus rationem habeat necessitatum pastoralium paroeciae; quare protopresbyterum consulat et, si id opportunum duxerit, de necessitatibus paroeciae deque dotibus specialibus personae ad curam pastorem in paroecia de qua agitur exercendam requisitis, audiat certos presbyteros et diaconos, immo vel christifideles laicos sapientia praestantes.

§ 3. Salvo iure particulari salvisque conventionibus legitime inter Episcopum eparchialem et Superiorem Maiorem Instituti vitae consecrate initis, ad paroeciam alicui sodali eiusdem Instituti concredendam, Superior Maior presbyterum sui Instituti praesentat Episcopo eparchiali qui, servata § 2, eum nominat.

§ 4. Parochi in suo officio stabilitate gaudent, quare ad tempus determinatum ne nominentur nisi:

1° de sodalibus Instituti vitae consecratae agatur;

2° candidatus ipse scripto consentiat ut ad tempus determinatum nominetur;

3° in casu extraordinario de consensu tamen consultorum eparchialium.

Can. 257 (CS 496 § 2)

Sede episcopali vacante aut impedita ad Administratorem aliumve qui eparchiam regat, pertinet, firmo canone 256 § 2:

1° vicarios paroeciales constituere;

2° institutionem concedere presbytero a Superiore Instituti vitae consecratae praesentato ad normam canonis 256 § 3;

3° parochum nominare, si sedes ab anno saltem vacaverit aut impedita fuerit.

Can. 258 (CS 500 § 1)

§ 1. Episcopus eparchialis vacantem paroeciam illi conferat quem, omnibus perpensis adiunctis, idoneum aestimet ad paroecialem curam in eadem implendam, omni personarum acceptatione seclusa.

§ 2. Episcopus ne omittat documenta, si qua sint, ex curiae tabulario desumere quae clericum nominandum respiciunt et notitias, secretas quoque, si opportunum iudicaverit, prudenter exquirere etiam ex locis extra eparchiam.

Can. 259 (CS 501)

§ 1. Parochus ad normam canonis NN (17) « De officiis », unius paroeciae tantum ut proprius pastor curam paroecialem habeat; ob penuriam tamen sacerdotum aut alia adiuncta possunt, saltem pro tempore, quaedam paroeciae ab Episcopo eparchiali aequae principaliter uniri.

§ 2. In eadem paroecia unus habeatur parochus, firmo canone 253 § 3.

§ 3. Curent locorum Hierarchae ut vigentes in praesens contra praescriptum § 2 consuetudines prudenter submoveantur.

Can. 260 (CS 502)

Curam animarum parochus obtinet a provisione canonica, quam tamen eidem exercere non licet nisi inita, ad normam iuris particularis, paroeciae administratione.

Can. 261 (Ch. D. 30)

§ 1. In exsequendo munere magisterii, parochus obligatione tenetur: verbum Dei praedicare omnibus christifidelibus, ut hi in fide, spe et caritate radicati, in Christo crescant et communitas christiana illud testimonium caritatis reddat, quod Dominus commendavit; itemque catechetica instructione christifideles ad plenam mysterii salutis cognitionem ducere, unicuique aetati accommodatam. Ad hanc autem instructionem tradendam non solum sodalium Institutorum vitae consecratae auxilium quaerat, sed etiam laicorum cooperationem.

(17) Agitur de can. 98 Motu proprio « Cleri sanctitati » recognito in schemate « De normis generalibus... », cf. *Nuntia* 18, p. 28, can. 32.

§ 2. In perficiendo opere sanctificationis, curent parochi ut celebratio divinae Liturgiae centrum sit et culmen totius vitae communitatis christianae; itemque adlaborent ut christifideles spirituali pabulo pascantur per devotam et frequentem sacramentorum receptionem atque per consciam et actuosam in liturgicis officiis participationem. Meminerint etiam parochi quam maxime sacramentum paenitentiae ad vitam christianam fovendam conferre, quare faciles se praebeant ad hoc sacramentum administrandum, advocatis ad hoc, si opus fuerit, aliis etiam sacerdotibus, qui varias linguas calleant.

§ 3. In officio pastoris adimplendo, imprimis curent parochi proprium gregem cognoscere. Cum autem omnium ovium sint ministri, vitae christianae incrementum foveant tum in singulis christifidelibus, tum in con-sociationibus praesertim apostolatus addictis, tum in universa communitate paroeciali. Domos igitur et scholas visitent, prout pastorale munus id exi-gat; adulescentibus et iuvenibus studiose prospiciant; pauperes et infirmos paterna caritate prosequantur; peculiarem denique curam de opificibus ha-beant atque adlaborent ut christifideles operibus apostolatus auxilium prae-stent.

Can. 262 (CS 503)

§ 1. In omnibus negotiis iuridicis parochus personam gerit paroeciae.

§ 2. Functiones maioris momenti, ut sunt celebratio sacramentorum initiationis christianae, benedictio matrimoniorum firmo canone 273 § 6, persolutio funerum, ad parochum spectant ita ut aliis sacerdotibus eas per-ficere non licet nisi ex licentia, saltem praesumpta, ipsius parochi.

Can. 263 (CS 504)

Oblationes omnes, iis exceptis de quibus in canonibus NN (18) « De cultu divino et praesertim de Sacramentis », quae occasione perfuncti mi-nisterii pastoralis a parochi ceterisque clericis eiusdem paroeciae adscriptis recipiuntur ad massam paroecialem deferri debent, nisi de contraria offeren-tis voluntate constat quoad oblationes plene voluntarias; Episcopo eparchia-li, audito Consilio presbyterali, competit statuere praescripta quibus desti-nationi harum oblationum necnon remunerationi parochi ceterorumque pa-roeciae clericorum, ad normam canonis NN (19) « De clericis » provideatur.

Can. 264 (CS 506)

§ 1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali pro-pe suam ecclesiam; potest tamen Episcopus iusta de causa permittere ut alibi

(18) Schema « De cultu divino et praesertim de Sacramentis », cann. 50-52; cfr. *Nuntia* 15, pagg. 33-34.

(19) Sermo est de canone 59 Motu proprio « Cleri sanctitati » recognito in schemate « De clericis »: cf. *Nuntia* 13, pag. 110, can. 78.

commoretur, dummodo domus ab ecclesia paroeciali non ita distet ut paroecialium perfunctio munerum aliquid inde detrimenti capiat.

§ 2. Nisi gravis obstet ratio, parochus, vacationis gratia, licet quotannis a paroecia abesse per unum ad summum mensem continuum aut intermissum; quo in tempore vacationis dies non computantur quibus semel in anno parochus spirituali recessui vacat; parochus autem, ut ultra hebdomadam a paroecia absit, tenetur de hoc Hierarcham monere.

§ 3. Episcopi eparchialis est normas statuere quibus prospiciatur, ut, parochi absentia durante, curae provideatur paroeciae per sacerdotem debitis facultatibus instructum.

Can. 265 (CS 505)

§ 1. In omnes suae curae pastoralis commissos parochus obligatione tenetur curam animarum exercendi.

§ 2. Memores sint parochi se sua cotidiana conversatione et sollicitudine fidelibus et infidelibus, catholicis et non catholicis, faciem ministerii vere sacerdotalis et pastoralis exhibere, omnibusque testimonium veritatis et vitae reddere debere, et ut boni pastores illos quoque quaerere, qui baptizati quidem in Ecclesia Catholica a praxi sacramentorum, vel imo a fide defecerunt.

§ 3. Episcopus eparchialis certas communitates personarum, aedificia et locos, quae in paroeciae territorio sint et iure non exempta, a parochi cura ex toto aut ex parte ne subducat, nisi gravi de causa.

Can. 266 (CS 507)

Divinam Liturgiam pro populo paroeciae sibi concredita parochus quam frequenter celebret, diebus vero a iure particulari praescriptis celebrare tenetur.

Can. 267

Curent Hierarchae locorum ut opportuna consilia in ambitu paroeciali instituantur ad res pastorales et oeconomicas tractandas ad normas iuris particularis.

Can. 268 (CS 511)

§ 1. In unaquaque paroecia habeantur libri paroeciales, liber scilicet baptizatorum, matrimoniorum, defunctorum, alique secundum praescripta Auctoritatis legislativae cuiusque Ecclesiae sui iuris aut, si haec desint, ipsius Episcopi eparchialis; prospiciat parochus ut iidem libri, servatis iisdem praescriptis, accurate conscribantur atque diligenter asserventur; liber quoque de statu animarum, eo quo fieri possit modo, conficiatur.

§ 2. In libro baptizatorum adnotentur quoque adscriptio baptizati determinatae Ecclesiae ad normam canonum 10 et 16, collatio chrismationis sancti myri, necnon quae ad christifidelium pertinent statum canonicum, ratione matrimonii, salvo quidem praescripto canonis NN (20) « De cultu divino », ratione adoptionis, itemque ratione suscepti ordinis sacri, professionis in Monasterio vel alio Instituto vitae consecratae emissae; eaeque adnotationes in documento accepti baptismi semper referantur.

§ 3. Quolibet anno exeunte parochus authenticum exemplum librorum baptizatorum et matrimoniorum ad curiam episcopalem transmittat.

§ 4. Unicuique paroeciae sit proprium sigillum; testimonia quae de statu canonico christifidelium dantur, sicut et acta omnia quae momentum habere possunt iuridicum ab ipso paracho eiusve delegato subscribantur et sigillo paroeciali muniantur.

§ 5. In unaquaque paroecia habeatur archivum, in quo libri paroeciales custodiantur, una cum Episcoporum epistulis aliisque documentis, necessitatis utilitatisve causa servandis; quae omnia, ab Episcopo eiusve delegato visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda, parochus caveat ne ad extraneorum manus perveniant.

§ 6. Libri paroeciales antiquiores quoque diligenter custodiantur, secundum praescripta iure particulari statuta.

Can. 269

§ 1. Parochus ab officio cessat renuntiatione ab ipso sponte facta et ab Episcopo eparchiali acceptata, lapsu temporis de quo in canone 256 § 4 n. 2, amotione vel translatione ad normam canonum NN (21) « De procedura in parochis amovendis vel transferendis ».

§ 2. Parochum qui est sodalis Instituti vitae consecratae libere, pro suo prudenti arbitrio, amovere potest Episcopus eparchialis, monito Instituti Superiore competenti; eundem amovere debet, id requirente eodem Superiore, qui vero nec ipse rationem sui iudicii Episcopo aperire tenetur; recursus in casu est tantummodo in devolutivo.

§ 3. Parochus expleto septuagesimo quinto aetatis anno, renuntiationem ab officio exhibeat proprio Episcopo eparchiali qui, omnibus personae et loci inspectis adiunctis, de eadem acceptanda aut differenda decernat; renuntiantis congruae sustentationi et habitationi ab Episcopo eparchiali providendum est, attentis normis ab Auctoritate legislativa uniuscuiusque Ecclesiae sui iuris statutis.

(20) Cf. *Nuntia* 15, pagg. 86-87, can. 173 § 3.

(21) Cf. cann. 334-345 schematis « De tutela iurium... »; *Nuntia* 14, pagg. 90-93.

Can. 270 (CS 513-514)

§ 1. Cum vacat paroecia aut cum parochus quacumque de causa a munere pastoralis in paroecia exercendo praepediatur, a loci Hierarcha quamprimum nominetur, aut ad normam canonis 256 § 3, instituatur, administrator paroecialis, presbyter scilicet qui parochi vicem suppleat ad normam canonis 271.

§ 2. Administrator paroecialis constitui etiam potest, si Episcopus eparchialis id expedire iudicaverit, in casu quo absentia parochi ultra mensem sit duratura.

Can. 271 (CS 513-514)

§ 1. Vacante paroecia itemque parochus a munere pastoralis exercendo prorsus impedito, administrator paroecialis iisdem adstringitur officiis iisdemque gaudet iuribus ac parochus.

§ 2. Parochus ratione inhabilitatis infirmaeque valetudinis a munere explendo pro parte impedito, aut ad normam canonis 270 § 2 absente, administrator paroecialis iis adstringitur obligationibus gaudetque iuribus, quae actu constitutionis definiuntur.

§ 3. Administratori paroeciali nihil agere licet, quod praeiudicium afferre possit iuribus parochi aut damno esse possit bonis paroecialibus.

§ 4. Administrator paroecialis post expletum munus, eidem parochus rationem de sua administratione reddat, modo iure particulari praescripto.

Can. 272 (CS 513-514)

§ 1. Vacante paroecia itemque parochus a munere pastoralis exercendo penitus impedito, ante administratoris paroecialis constitutionem, paroeciae regimen interim assumat vicarius paroecialis, et si plures sint eorundem nominatione antiquior, atque, si vicarii desint, parochus vicinior. Episcopus autem tempestive determinet quaenam paroecia cuique paroeciae vicinior habenda sit.

§ 2. Qui paroeciae regimen ad normam § 1 assumpserit, loci Hierarcham de paroeciae vacatione statim certiore faciat.

Articulus II

De vicariis paroecialibus

Can. 273 (CS 517; CA 87 § 1 n. 1)

§ 1. Ubi ad pastorem paroeciae curam debite adimplendam necesse aut opportunum sit, parochus adiungi possunt unus vel plures vicarii paroeciales, qui debent esse presbyteri.

§ 2. Vicarii paroeciales constitui possunt sive pro universa paroecia, sive pro determinata paroeciae parte.

§ 3. Vicarios paroeciales e clero eparchiali nominat Episcopus, audito, nisi aliter prudenter iudicaverit, parrocho.

§ 4. Vicarios paroeciales Institutorum vitae consecratae sodales Superior cui id ex statutis competit, audito, nisi contrarium opportunum duxerit, parrocho, praesentat Episcopo, cuius est eosdem instituere.

§ 5. Vicarius paroecialis obligatione tenetur in paroecia residendi secundum praescripta Episcopi vel legitimas consuetudines.

§ 6. Eius iura et obligationes ex legibus eparchialibus, ex litteris Episcopi et ex ipsius parrochi commissione desumantur; sed, nisi aliud expresse caveatur, ipse debet ratione officii parrochi vicem supplere eumque adiuvere in universo paroeciali ministerio. Ratione autem officii facultate benedicendi matrimonia non gaudet, hanc tamen facultatem, etiam generalem, ipsi concedere potest parrochus, intra fines paroeciae, qua obtenta ipse facultate subdelegandi gaudet.

§ 7. Vicarius paroecialis, tamquam parrochi cooperator, praestantem et actuosam operam quotidie impendat in ministerio pastoralis sub parrochi auctoritate exercendo. Inter parrochum eiusque vicarium fraterna habeatur conversatio, mutua caritas et reverentia semper vigeat, iidemque consiliis, auxilio et exemplo sese invicem adiuvent, paroeciali curae concordii voluntate communique studio providentes.

Can. 274 (CS 518)

Vicarius paroecialis e clero eparchiali potest ab Episcopo vel Administratore eparchiali removeri iusta de causa et audito parrocho: si sit sodalis Instituti vitae consecratae amoveri potest ad normam canonis 269 § 2.

Articulus III

De ecclesiarum rectoribus

Can. 275 (CS 519)

Nomine Rectorum ecclesiarum hic veniunt presbyteri, quibus cura demandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit nec adnexa domui communis vitae consecratae, quae in eadem officia celebret.

Can. 276 (CS 520)

§ 1. Ecclesiarum rectores nominantur ab Episcopo, salvo iure Institutorum vitae consecratae praesentandi, quo in casu Episcopi est rectorem instituere.

§ 2. Licet ecclesia pertineat ad aliquod Institutum vitae consecratae exemptum, rector tamen a Superiore nominatus indiget Episcopi vel, si ecclesia sit stauropegiaca, Patriarchae approbatione.

§ 3. Si ecclesia coniuncta sit cum Seminario aliove collegio quod a presbyteris regitur, rector Seminarii vel collegii est simul ecclesiae rector, nisi aliter Hierarcha loci constituerit.

Can. 277 (CS 521, 522)

§ 1. In ecclesia sibi commissa rector functiones paroeciales peragere nequit, nisi consentiente aut, si res ferat, delegante paroco, firmo canone NN (22) « De institutione clericorum ».

§ 2. Ecclesiae rector potest divina officia etiam sollemnia ibidem celebrare, salvis legitimis foundationis legibus et dummodo ne noceant ministerio paroeciali; in dubio autem utrum huiusmodi detrimentum contingat, necne, Hierarchae loci est rem dirimere et opportunas normas praescribere ad illud evitandum.

Can. 278 (CS 523)

Ubi id opportunum ipsi videatur potest loci Hierarcha rectori praecipere ut determinatas in ecclesia sua pro populo celebret functiones etiam paroeciales, necnon ut ecclesia pateat certis christifidelium coetibus ibidem officia celebraturis.

Can. 279 (CS 524)

Sine rectoris vel alius legitimi Superioris licentia saltem praesumpta, nemini licet in ecclesia divinam Liturgiam celebrare, sacramenta ministrare aliasve functiones sacras peragere: haec vero licentia dari vel negari debet ad normam iuris.

Can. 280 (CS 525)

Rector ecclesiae sub auctoritate Hierarchae loci servatisque legitimis statutis ac quaesitis iuribus, debet curare ut divina officia ad canonum praescripta ordinate in ecclesia celebrentur, onera fideliter adimpleantur, bona rite administrentur, sacrae suppellectilis atque aedium sacrarum conservationi et decori prospiciatur et ne quidquam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoque modo repugnet.

Can. 281 (CS 526)

Rectorem ecclesiae, Episcopus remove ad nutum potest ex qualibet iusta causa; quod si rector fuerit sodalis Instituti vitae consecratae servetur circa eius remotionem norma de qua in canone 269 § 2.

(22) Agitur de canone « de Seminariis » in quo affirmatur « exemptum a regimine paroeciali Seminarium... » etc.; cf. *Nuntia* 13, can. 15 § 2.

TITULUS VII
DE EXARCHIIS ET EXARCHIS

Can. 282 (CS 362, 366 § 1, 388 § 1)

§ 1. Exarchia est populi Dei portio quae ob peculiaria adiuncta in eparchiam non est erecta quaeque pascenda committitur Exarcho qui eam regit nomine illius qui eum nominavit, firmo § 2.

§ 2. Exarchia cum proprio populo, territorialiter vel alia ratione circumscripto, assimilatur eparchiae et committitur alicui Exarcho, ut eam ad instar Episcopi eparchialis regat.

§ 3. In constitutione, immutatione, suppressione exarchiarum intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis servandus est canon 53 § 3; constitutio, immutatio ac suppressio ceterarum exarchiarum uni Sedi Apostolicae competit.

Can. 283 (CS 363, 366 § § 2 et 3, 388 § 2)

§ 1. Intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis Exarchus nominatur a Patriarcha audita Synodo permanenti, firmis quidem canonibus 148-157 si de Exarcho agatur qui ad ordinationem episcopalem promovendus sit. In ceteris casibus nominatio Exarchi competit uni Sedi Apostolicae.

§ 2. Exarchi a Patriarcha nominati ab officio removeri nequeunt nisi de consensu Synodi Episcoporum.

§ 3. Exarchus administrationem init exarchiae sibi commissae decretum nominationis ostendens ei qui exarchiam regit.

Can. 284 (CS 367, 391)

Exarchi iisdem iuribus et facultatibus gaudent iisdemque officiis tenentur in sua exarchia, quae in propriis eparchiis competunt Episcopis eparchialibus, nisi aliud constet ex natura rei vel expresse iuris praescripto.

Can. 285 (CS 369)

§ 1. Exarchus extra territoria Ecclesiae patriarchalis constitutus a Patriarcha presbyteros idoneos expetere potest, qui curam spiritualem fidelium suscipere valeant. Patriarcha autem, quoad eius fieri potest, petitioni Exarchi satisfacere curet.

§ 2. Presbyteri a Patriarcha, certiore facta Sede Apostolica, in exarchiam missi, sive ad tempus sive in perpetuum, exarchiae addicti habentur, iique in omnibus subesse debent potestati Exarchi.

Can. 286

A decretis Exarchi qui nomine Romani Pontificis vel Patriarchae exarchiam regit, recursus fit respective ad Sedem Apostolicam vel Patriarcham; a decretis Exarchi qui regit exarchiam cum proprio populo recursus fit ad ordinariam normam iuris.

Can. 287 (CS 375)

Exarchi obligatione tenentur Sacra Limina beatorum Apostolorum Petri et Pauli visitandi ad normam canonis 178, exceptis Exarchis qui nomine Patriarchae exarchias sibi concreditas regunt.

Can. 288 (CS 376)

§ 1. Exarchi a Patriarcha nominati debent quinto quoque anno plenam et accuratam scriptam relationem ad Patriarcham de statu religioso et temporali exarchiae mittere.

§ 2. Exarchi a Romano Pontifice nominati eandem relationem ad Sedem Apostolicam singulis quinquenniis exhibere debent et, si alicui Ecclesiae patriarchali aggregati sunt, etiam ad normam canonis 176 § 2 sese gerant.

Can. 289 (CS 377)

§ 1. Legibus de Conventu eparchiali, de Curia eparchiali, de Consilio presbyterali et Collegio consultorum eparchialium et de Consilio pastorali, Exarchi tenentur, locorum et personarum ratione, iudicio Auctoritatis quae exarchiam erigit, aequae accomodatis et firma § 2.

§ 2. Nisi ex ipsa institutione exarchia hac in re plene eparchiae aequiparatur, Exarchi constituent Consilium ex prudentioribus presbyteris non minus quam tribus, in quantum fieri potest inter membra Consilii presbyteralis, si hoc adsit, delectis, quorum consensum vel sententiam exquirere debent, quoties ius statuit Hierarchas locorum ad agendum indigere consensu vel consilio consultorum eparchialium.

Can. 290 (CS 384, 385)

§ 1. Exarchiae vacanti vel impeditae regimen transit ad Protosyncellum et eo deficiente ad seniore in exarchia presbyterali ordinatione.

§ 2. Ille ad quem exarchiae cura devenerit quamprimum debet certiore facere Auctoritatem cuius est Exarchum nominare ut ipsa provideat, interim vero uti potest omnibus facultatibus sive ordinariis sive delegatis quibus Exarchus pollebat, nisi eidem commissae fuerint ratione personae eiusque qualitatum.

Can. 291 (CS 387)

§ 1. Exarchi qui caractere episcopali carent, habent durante munere, insignia et privilegia primi, iuxta praescripta proprii ritus, tituli praelatii post Episcopum.

§ 2. In retinendis vel minus insigniis et privilegiis de quibus in § 1 servetur ius particulare.

TITULUS VIII

DE CONVENTIBUS HIERARCHARUM INTERRITUALIBUS

Can. 292

§ 1. Patriarchae atque locorum Hierarchae Ecclesiarum variorum rituum, latino haud excluso, in eadem natione vel regione potestatem exercentes, statis temporibus ad periodicos conventus convocandi sunt, a Patriarcha aliave Auctoritate a Sede Apostolica designata, ut communicatis prudentiae et experientiae luminibus, collatis consiliis, sancta fiat ad commune Ecclesiarum bonum virium conspiratio, qua unitas actionis foveatur, communia opera adiuventur, bonum religionis expeditius promoveatur atque disciplina ecclesiastica efficacius servetur.

§ 2. Decisiones conventuum de quibus in § 1 vim iuridice obligandi non habent, nisi de iis agatur quae nulli possunt esse praeiudicio ritui unicuique Hierarchae proprio vel potestati, a iure communi vel particulari statutae, Patriarcharum, Synodorum, Metropolitaram atque Consiliorum Hierarcharum atque simul per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum, Praesulum voto deliberativo fruientium, prolatae necnon a Sede Apostolica adprobatae sint.

§ 3. Decisiones, etsi unanimo suffragio prolatae, quae quomodo-cumque ea de quibus in § 2 excedunt, omni vi carent usquedum ab ipso Romano Pontifice adprobatae fuerint.

§ 4. Unusquisque conventus Hierarcharum plurium rituum sua conficiat statuta in quibus foveatur, inquantum fieri potest, etiam participatio Hierarcharum Ecclesiarum quae nondum sunt in plena cum Ecclesia Catholica communione. Statuta, ut valeant, a Sede Apostolica adprobanda sunt.

INDEX

<i>Praenotanda</i>		pagg.	3-19
Canones praeliminares		can.	1-8
TITULUS I	- <i>De Ecclesiis sui iuris et de ritibus</i>	»	9
Caput I	De adscriptione alicui Ecclesiae sui iuris	»	10-17
Caput II	De ritibus	»	18-22
TITULUS II	- <i>De Summo Pontifice deque Collegio Episcoporum</i>	(can. 23 etc.)	
TITULUS III	- <i>De Ecclesiis patriarchalibus</i>	»	24-30
Caput I	De electione Patriarcharum	»	31-46
Caput II	De iuribus et obligationibus Patriarcharum	»	47-70
Caput III	De Synodo Episcoporum Ecclesiae patriarchalis	»	71-83
Caput IV	De curia patriarchali	»	84-96
Caput V	De sede patriarchali vacante vel impedita	»	97-103
Caput VI	De Metropolitae Ecclesiae patriarchalis	»	104-111
Caput VII	De Conventu patriarchali	»	112-117
Caput VIII	De territoriis Ecclesiarum patriarchalium atque de potestate Patriarcharum eorumque Synodorum extra haec territoria	»	118-126
TITULUS IV	- <i>De Ecclesiis archiepiscopalibus maioribus</i>	»	127-130
TITULUS V	- <i>De Ecclesiis metropolitanis sui iuris</i>	»	131-143
	- <i>De designatione Metropolitae ab Hierarchis locorum qui nulli Patriarchae vel Metropolitae subiciuntur</i>	»	144
TITULUS VI	- <i>De eparchiis et Episcopis</i>		
Caput I	De Episcopis	»	145-147
Art. I	De electione Episcoporum	»	148-157
Art. II	De iuribus et obligationibus Episcoporum eparchialium	»	158-181

Art. III	De Episcopis Coadiutoribus et Auxiliariis »	182-189
Art. IV	De sede eparchiali vacante vel impedita . . . »	190-204
Art. V	De Administratoribus Apostolicis . . . »	205
Caput II	De organis Episcopum in regimine adiuvantibus	
Art. I	De Conventu eparchiali »	206-214
Art. II	De curia eparchiali »	215-216
	1) De Protosyncello et Syncellis . . . »	217-223
	2) De Cancellario aliisque notariis et archivo eparchiali »	224-233
	3) De Oeconomo et Consilio a rebus oeconomicis »	234-235
Art. III	De Consilio presbyterali et Collegio consultorum eparchialium »	236-243
Art. IV	De Consilio pastorali »	244-247
Art. V	De protopresbyteris »	248-250
Caput III	De paroeciis et de parochis, vicariis paroecialibus ac de rectoribus ecclesiarum . . . »	
Art. I	De paroeciis et de parochis »	251-272
Art. II	De vicariis paroecialibus »	273-274
Art. III	De ecclesiarum rectoribus »	275-281
TITULUS VII	- <i>De exarchiis et Exarchis</i> »	282-291
TITULUS VIII	- <i>De Conventibus Hierarcharum interterritualibus</i> »	292

BREVE RELAZIONE SUI LAVORI DELLA COMMISSIONE
DAL 15 DICEMBRE 1983 AL 15 DICEMBRE 1984

Completata sul finire del 1983 la *denua recognitio* di tutti gli schemi del futuro Codice di Diritto Canonico Orientale, eccettuato lo schema « De constitutione hierarchica Ecclesiarum Orientalium », che è rimasto sotto studio, la Presidenza della Commissione ha deciso di procedere senza indugio all'opera di coordinamento dell'intero progetto del Codice. Infatti il lavoro di coordinazione sistematica dei sette schemi già *denuo recogniti* si è reso possibile. Per quanto riguarda invece l'ottavo schema, quello « De constitutione hierarchica Ecclesiarum orientalium » si farà questo lavoro di coordinamento appena anche esso sarà *denuo recognitum*.

A questo scopo la Presidenza della Commissione ha costituito un gruppo di studio « De coordinatione » di cui fanno parte 5 consultori di facile convocazione ed esperti in diritto Canonico Orientale e in lingua latina, e ha affidato alla Segreteria della Commissione il compito di curare la composizione provvisoria dell'intero testo del futuro Codice, con numerazione continua dei canoni, tuttavia in modo tale che per ogni canone e titolo del Codice sia facilmente rilevabile la sua provenienza e quanto è stato effettuato circa esso durante la *denua recognitio*.

Nel comporre il fascicolo dell'intero testo del futuro codice si è seguita l'ordinazione di esso come delineata nella relazione fatta al Sinodo dei Vescovi nel 1980, da parte del Vice-Presidente della Commissione. Come appare da questa relazione, resa di pubblica ragione in *Nuntia* 11, pp. 85-87, il progettato Codice è diviso non in 7 libri a somiglianza del C.I.C. promulgato nel gennaio 1983, ma in 29 titoli, che iniziano con quelli dello schema « De constitutione hierarchica Ecclesiarum orientalium » pubblicato in questo stesso fascicolo di *Nuntia* e terminano con il titolo contenente i canoni relativi alle norme generali « de legibus, consuetudine, actibus administrativis et temporis supputatione ».

Una prima riunione del gruppo di studio « De coordinatione » ha avuto luogo dal 9 al 13 aprile 1984. In essa tutti i componenti del gruppo sono stati d'accordo di concentrare il proprio impegno sui seguenti punti: 1) sul rilevamento delle imperfezioni di lingua e di stile e sul loro emendamento da farsi con proposte concrete, tali però da non sconvolgere il testo di un dato

canone; 2) sulla eliminazione di tutte le incongruenze sia interne che esterne dei singoli canoni in vista di conferire all'intero Codice una coerenza quanto più possibile completa sotto ogni riguardo; 3) sull'esame e sulla determinazione rigorosa dell'esatto significato dei singoli termini giuridici con l'idea di precludere ogni possibilità all'ambiguità e alla polivalenza semantica dei termini (il che potrebbe comportare una certa monotonia espressiva, comunque assai preferibile, in testi giuridici, all'imprecisione) e di dare all'intero Codice una completa uniformità e rigorosità sul piano terminologico; 4) sulla verifica dell'esattezza di tutti i rinvii che figurano nei canoni del progetto del CICO; 5) sulla sistematica dei titoli; 6) sul controllo dell'ordine logico-sistematico dei singoli canoni nelle varie sezioni del Codice; 7) sull'opportunità di rilevare quelle differenze con il nuovo Codice della Chiesa Latina, che possono essere eliminate, senza pregiudicare però il carattere orientale del CICO.

Circa la punteggiatura e l'uso delle maiuscole, si è notato nel gruppo di studio che i vari *Coetus* nel formulare le relative sezioni degli schemi hanno seguito criteri assai diversi. Pertanto si è ritenuto opportuno enunciare alcuni principi generali per ridurre tutti gli schemi ad un unico sistema di punteggiatura e di uso delle maiuscole. Solo in seguito si farà una serrata verifica, se per caso la punteggiatura non solo non pregiudichi, ma anzi renda più perspicuo il senso esatto di ogni prescrizione giuridica.

Per la seconda riunione di questo gruppo di studio, che ha avuto luogo dal 19 al 24 novembre 1984, la Segreteria della Commissione ha preparato un fascicolo di 85 pagine di osservazioni scaturite da una accurata analisi comparativa dell'intero progetto del CICO, risultante in linea provvisoria di 1552 canoni. A questo fascicolo i singoli componenti del gruppo di studio hanno, ciascuno da parte sua, aggiunte molte altre osservazioni. Di tutti questi rilievi circa una quinta parte soltanto si è potuto trattare in questa riunione. Altre riunioni di questo gruppo si prevedono per i primi mesi del 1985, con l'intenzione di presentare ai Membri della Commissione, dopo aver concluso la *denua recognitio* dell'ultimo schema summenzionato ed averlo integrato nel lavoro di coordinazione, un progetto di Codice per quanto possibile omogeneo anche redazionalmente.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO c/c post. 00774000

SECRETARIA STATUS
RATIONARIUM GENERALE ECCLESIAE

**ANNUARIUM STATISTICUM ECCLESIAE
STATISTICAL YEARBOOK OF THE CHURCH
ANNUAIRE STATISTIQUE DE L'EGLISE
1982**

Testo nelle lingue: Latina, Inglese e Francese

Vol. di pp. 372 del formato di cm. 26 x 19

L. 38.000 + spese spedizione



INSEGNAMENTI DI GIOVANNI PAOLO II

volume VI, 2 - 1983 (luglio-dicembre)

Rilegato in Cartone e Imitlin - formato cm. 17 x 24, di pp. xxxii-1.504

L. 50.000 + spese spedizione

NUNTIA

Commentarium cura et studio

PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS RECOGNOSCENDO
editum

prodibit bis in anno et quoties utilitas id postulare videbitur



Directio: penes Pontificiam Commissionem Codici Iuris Canonici Orientalis Recognoscendo

Direction et rédaction: Commission Pontificale pour la révision du code de Droit canon oriental

(Via della Conciliazione 34, 00193 Roma)

Administration: Libreria Editrice Vaticana, Città del Vaticano
(c.c.p. N. 00774000)

Italia
Extra Italia

Abbonamento annuo Abonnement annuel Annual subscription	Annate arretrate Années précédentes Past years
L. 15.000	L. 25.000
L. 20.000	L. 25.000

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

CITTÀ DEL VATICANO

c/c post. 00774000

INSEGNAMENTI DI GIOVANNI PAOLO II

volume VII, 1 - 1984 (gennaio-giugno)

Rilegato in cartone e Imitlin - formato cm. 17 x 24, di pp. XL-2.020

L. 70.000 + spese spedizione



IOANNIS PAULI PP. II

**ADHORTATIO APOSTOLICA
POST SYNODUM EPISCOPORUM EDITA**

**AD SACRORUM ANTISTITES, SACERDOTES
ET CHRISTIFIDELES
DE RECONCILIATIONE ET PAENITENTIA
IN HODIERNO ECCLESIAE MUNERE**

Edizione latina, formato cm. 18 x 27 - pp. 88

Traduzione francese, inglese, italiana, polacca, portoghese, spagnola, tedesca,
formato cm. 13 x 23 - pp. 144

L. 4.500 + spese spedizione